This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 254 497
P A
2077
M49
1885
MAIN

HARRASSOWITZ
BOOK AGENT

QUAESTIONES GRAMMATICAE

AD

SCAURI ARTEM RESTITUENDAM SPECTANTES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

PAULUS ERICUS MEYER
BEROLINENSIS

IENAE

TYPIS A. NEUENHAHNI

1885

PA2077
M49
1885
MAIN
II 349

Grammatica latina quomodo temporum decursu exculta atque aucta sit qui quaesiverunt, inprimis in Charisii institutiones grammaticas operam impenderunt ut in quibus optime fontes discerni possint, Diomedis autem libros neglexerunt, cui scriptori nescio an Christii sententia anno huius saeculi sexagesimo altero prolata fatalis fuerit, qui ex disquisitione de Diomedis fontibus habita haud magnum emolumentum nobis futurum esse censuit. (Philol. XVIII p. 128 sqq.).

Sed talem disquisitionem pluris habere in recessu quam fronte promittat, e Kummrowii dissertatione quae inscribitur: Symbola critica ad grammaticos latinos (Gryphiswaldiae 1880) satis superque elucet. Nam quamvis multis in rebus Kummrowio non assentiar, tamen hac in re prorsus cum eo facio, quod e Diomedis arte Scauri grammatici fragmenta facillime erui posse existimo. Quare inquisiturus sum in eam Diomedis secundi libri partem, quae inde a pag. 439, 14 incipit, quippe quae singularem quandam speciem prae se ferat multaque praebeat, quae Diomedes solus exhibet.

Cap. I. De Diomedis capite quod est de metaplasmis.

§ 1. Kummrowius paginis 5—19 explicat, „quae ratio intercedat inter Diomedem et Charisium Donatum Sacerdotem, deinde breviter exponit, qua ratione in libris auctorum suorum exscribendis usus sit Diomedes“ Censuit autem „Diomedem complurium grammaticorum commentarios in unum quasi corpus conflasse, neque ut Charisium deinceps eos exscripsisse“ (p. 11). Quibus rebus constitutis ad capi-

471444

UNIV. OF
CALIFORNIA

PA2077
M49
1885
MAIN

UNIV. OF CALIFORNIA

II 349

Grammatica latina quomodo temporum decursu exculta atque aucta sit qui quaesiverunt, inprimis in Charisii institutiones grammaticas operam impenderunt ut in quibus optime fontes discerni possint, Diomedis autem libros neglexerunt, cui scriptori nescio an Christii sententia anno huius saeculi sexagesimo altero prolata fatalis fuerit, qui ex disquisitione de Diomedis fontibus habita haud magnum emolumentum nobis futurum esse censuit. (Philol. XVIII p. 128 sqq.).

Sed talem disquisitionem pluris habere in recessu quam fronte promittat, e Kummrowii dissertatione quae inscribitur: Symbola critica ad grammaticos latinos (Gryphiswaldiae 1880) satis superque elucet. Nam quamvis multis in rebus Kummrowio non assentiar, tamen hac in re prorsus cum eo facio, quod e Diomedis arte Scauri grammatici fragmenta facillime erui posse existimo. Quare inquisiturus sum in eam Diomedis secundi libri partem, quae inde a pag. 439, 14 incipit, quippe quae singularem quandam speciem prae se ferat multaque praebeat, quae Diomedes solus exhibet.

Cap. I. De Diomedis capite quod est de metaplasmis.

§ 1. Kummrowius paginis 5—19 explicat, „quae ratio intercedat inter Diomedem et Charisium Donatum Sacerdotem, deinde breviter exponit, qua ratione in libris auctorum suorum exscribendis usus sit Diomedes:“ Censuit autem „Diomedem complurium grammaticorum commentarios in unum quasi corpus conflasse, neque ut Charisium deinceps eos exscripsisse“ (p. 11). Quibus rebus constitutis ad capi-

471444

tis de metaplasmis fontes eruendos utitur; ubi complures a Diomede libros adhibitos esse, iam ex metaplasmorum definitionum diversa cognosci forma; huius enim ratione habita duas posse componi definitionum series, (vid. p. 16 et 17) quarum altera ad Charisii, altera ad Donati fontem redeat. Accedere quod in ipsius Diomedis verbis nonnulla exstent vestigia, quibus complures eum fontes contaminasse primo obtutu perspicuum fiat. Nam (pag. 17) „in aphaereseos explicatione disertis verbis priori definitioni: ‚Aphaeresis est aeque generalis metaplasmus, qui fit per detractionem, sed specialiter observatur' alteram sic adnecti: *Item de aphaeresi. aphaeresis est ablatio* e. q. s. Quid enim, inquit Kummrowius, sibi volunt verba *item de aphaeresi* nisi indicant fontem alterum? nam si illa omnia ex uno hausta essent fonte, verba *sed specialiter observatur* statim exciperet definitio specialis.

Praeter Donati Charisiique auctores adhibuisse Diomedem tertium, cui debeat, quae ultimo loco de protheseon parallage scripserit. Haec e Sacerdotis fonte sumpta esse, (cf. p. 19). Neque minus ad tertium referenda esse auctorem, quae de paragoge Diomedes exposuerit.

§ 2. Qua in expositione Kummrowius mihi erravisse videtur, primum quod Diomedem per totam artem eadem libri e fontibus conscribendi ratione usum esse opinatur, qua primo in operis capite usus sit. Quibus argumentis talis sententia niti possit, nescio. Immo cum per se verisimile sit, grammaticos modo unum modo plures exscripsisse fontes, modo hunc tanquam ducem sequi ex illo paucis additis, modo illum praeoptare ex hoc paucis adnotationibus adiectis, hoc postea multis locis elucebit. Quare cavendum est, ne, quoniam in nonnullis conscribendis capitibus Diomedem e compluribus hausisse fontibus vidimus, in quocunque capite complures adhibitos esse suspicemur, priusquam ad ipsam disquisitionem accesserimus. Tali enim suspicione Kumm-

rowius impeditus videtur, quominus simpliciter atque opinione non praesumpta de capitibus quae tractavit Diomedis dicudicaret.

Accedit quod ea Diomedis artis pars, in qua de metaplasmis et de schematibus agitur, longe aliam atque reliqua operis pars praebet speciem. Quam sententiam omnibus differentiis allatis probare supersedeo, quoniam progrediente disputatione perspicua fiet. Hoc loco unum tantum moneam, et dispositionem huius partis (439,15—471,29) apud alium grammaticum nullum redire, multaque inesse quae Diomedis propria sint; atque dubito, an toti parti is praeponendus sit titulus qui p. 439,15 uni tantum capiti inditus est: de latinitate.

Quare cum differentia quaedam inter hanc reliquamque artis partem intercedat, nequaquam iure utramque eodem modo e fontibus conscriptam esse contenditur.

Iam videamus reliqua. Priusquam autem Diomedis disputationem cum Donati Charisiique conferamus, in ipsius diligenter inquiramus verba, quid de fontibus adhibitis prodant. Atque primum recte offendit K. in verbis, quae p. 441,20 leguntur, his: *De aphaeresi, aphaeresis est aeque generalis metaplasmus, qui fit per detractionem. sed specialiter observatur. item de aphaeresi. aphaeresis est ablatio de principio dictionis* e. q. sq. Certe Kummrowius hac tantum causa, quod ex aliis argumentis aliisque locis Diomedem plures in unum contaminasse fontes opinatur, etiam hoc loco in eandem suspicionem deductus est. Sed videamus, num revera hoc loco duo fontes indicentur.

Atque primum ex illo *item de aphaeresi* aliquid concludendum esset, si ante verba *sed specialiter observatur* positum esset. Tum enim in fonte priore loco exscripto specialem definitionem defuisse appareret. Nunc autem, cum post *sed specialiter observatur* verba illa legantur, dummodo a Diomede ipso sint scripta, probarent, etiam priorem fontem specialem definitionem exhibuisse. Quae cum ita sint,

si Kummrowium sequimur, ad hanc miram complicatamque sententiam descendamus necesse est: duos habuit Diomedes fontes, quorum alter et definitionem generalem et specialem, alter certe specialem — fortasse etiam generalem praebuit. Ex priore igitur definitionem generalem descripsit et ea verba, quibus specialis introducitur; speciali autem definitione ipsa, qualem in priore fonte invenit, repudiata se ad alterum fontem contulit, cuius verba nescio cur magis ei placuerint.

At quamquam pro certo affirmari non potest, omnia illa lemmata: *de prothesi, de epenthesi,* reliqua non ab ipso Diomede sed a librario addita esse, haec verba, *item de aphaeresi* sine dubio librarii cuiusdam pravitati debentur. Nam neque 444,33 inter generalem et specialem protheseos definitionem similia interposita sunt, quem locum eodem modo ex duobus fontibus conflatum esse Kummrowius opinatur, neque omissis hoc loco verbis quidquam mutatur: immo tum demum omnia plana fiunt, praesertim 'sic' particula inserta: *Aphaeresis est aeque generalis metaplasmus, qui fit per detractionem; sed specialiter sic observatur: aphaeresis est ablatio* .... Hoc cum loco a nobis restituto conferas protheseos generalem et specialem definitionem apud Diomedem exstantes et haec Charisii verba: *Aphaeresis est aeque generalis metaplasmus, qui fit per detractionem, sed specialiter sic observatur.* Nonne luce clarius est librarium quendam Diomedis artem describentem vel magistrum eam in scholis adhibentem inde a Diomedis verbis: *aphaeresis est ablatio* ... alteram definitionem incipere ratum inseruisse verba *item de aphaeresi?* Quod utrum idem fecerit, qui reliqua scripsit lemmata, an alius, neque sciri potest neque quidquam scire refert. — Quae cum ita sint hoc loco non alium fontem, sed interpolatorem investigavimus.

Deinde certe mirandum est, quod apud Diomedem post paralepseos difinitionem paragoges, quae eadem est atque illa, legimus. Qua in re etiam Kummrowius (p. 19) dubi-

tavit, utrum hoc inde factum sit, quod Diomedes duos adhibuerit fontes, an interpolatori tribuendum sit. Attamen hoc, quo omnis removetur dubitatio, neglexit Kummrowius, in altero fonte quem Diomedem exscripsisse censet, in Donati auctore, hanc extitisse annotationem (p. 396, 7): *hanc alii prosparalepsin appellant.* Certe Diomedis ars ipsa, praesertim si revera ex multis fontibus conflata esset, testatur, grammaticum non tam stultum fuisse, ut non intellegeret, se de eadem re bis agere, illa annotione inspecta.

Nos igitur qui iam alio loco interpolatoris vestigia detexerimus, etiam hoc loco aegre de altero fonte cogitabimus. Quod autem in enumeratione metaplasmorum (p. 440,30) paragoge in codicibus ultimo loco posita est, tanquam postea addita, neque suum locum post *„paralepsis“* tenet, hoc suspicionem nostram tantopere auget, ut si alia argumenta accedant certe disputationem de paragoge ut ab interpolatore aliunde adiectam e textu eiciamus necesse sit.

Atque verba *ad ultimam simplicis dictionis clausulam* ita conformata sunt, ut a reliquorum huius capitis titulorum usu verborum abhorreant. Quare neque e Donati neque e Charisii auctore ea fluxisse etiam Kummrowius concedit, ita ut quartum Diomedis fontem hoc uno tantum loco adhibitum statuere cogeremur. Nam Sacerdotis auctori, ex quo ea hausta esse Kummrowius putavit, quae in fine capitis de protheseon parallage leguntur, ideo vindicare illa nequimus, quod similia apud Sacerdotem non leguntur. Nisi forte etiam Sacerdos complures adhibuit fontes, quorum reliqui Diomedis dissimillimi sunt; eum autem fontem quem Diomedes hoc uno tantum loco (in tit. de protheseon parallage) adhibuit etiam Sacerdotem tantum eodem loco adhibuisse necesse esset. Iam vides, quanta existat absurditas.

Quare etiam hoc loco multis adducimur argumentis, ut cogitemus de interpolatore, qui prosparalepsin non eandem esse ratus atque paragogen, huius definitionem e fonte nobis ignoto addidit.

Neque aliter de titulo qui est de protheseon parallage iudico. Hunc enim a tota capitis ratione plane abhorrere quoniam protheseon parallage metaplasmus non est iam Kummrowius annotat, quod autem ab ipso Diomede additum esse statuit, errasse mihi videtur. Nam — (id quod neglexit Kummrowius) — in metaplasmorum enumeratione protheseon parallages nomen non extat. Denique quod eadem fere verba apud Sacerdotem p. 453, 5 (Keil. vol. VI) leguntur opinioni meae favet. Nam cum in reliquis rebus et hoc et in aliis capitibus fere nulla inter Sacerdotem et Diomedem similitudo intercedat, ex Sacerdotis arte ab interpolatore, non a Diomede verba huc adscripta esse recte conicias.

Quamquam — quod minime concedam — licet erraverim titulos de paragoge et de protheseon parallage interpolatori tribuendo, hoc quod gravissimum est negari non potest, illa verba 'item de aphaeresi' nequaquam alterius fontis esse vestigium. Quare eiectis duobus illis titulis quos cum reliqua disputatione nullo vinculo cohaerere demonstravi, quid de eis quae restant iudicandum sit, videamus.

Ad ultimum igitur Kummrowii argumentum refutandum accedam, quod non ex ipsis Diomedis verbis, sed Diomedis Donati Charisii capitibus collatis indagavisse eum apparet. Dico autem formas definitionum diversas, quas apud Diomedem nos invenire contendit.

Atque si tantummodo Diomedis ipsius caput inspicimus, nequaquam hanc definitionum diversitatem animadvertimus, ut de duobus fontibus nobis cogitare liceat. Exceptis enim duobus illis definitionibus, quas e textu eiciendas esse demonstravimus, hanc definitionum formam invenimus: *prosthesis est appositio,* vel *aphaeresis est ablatio* vel *ecthlipsis est elisio* [sic enim pro *collisio* legendum videtur]. Nam sub titulo de prosparalepsi, cum Diomedis verba non integra esse videamus — deest enim qua carere non possumus, subdivisio litterae et syllabae — etiam substantivum „appositio"

excidisse vere videor contendere posse, quippe quod hic solus sit titulus, ubi versio latina graeci vocabuli desit.

At cum ipsas definitiones ad unum paene modulum figuratas esse appareat, diversas a Diomede adhibitas esse formas in explicandis differentiis specificis, quas dicimus, nemo est quin videat.

Cuius rei ratione habita has definitionum series discernere possumus.

I.

Metaplasmus est transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem metri aut decoris causa [de verbo „figurata“ a me omisso videas infra pag. 13].

Prosthesis est appositio quaedam ad principium dictionis.

Aphaeresis est ablatio de principio dictionis contraria prosthesi.

Syncope est ablatio de media dictione contraria epenthesi.

Apocope est ablatio de fine dictionis prosparalepsi contraria.

Diaeresis est discissio syllabae unius in duas divisae.

Episynaliphe est conglutinatio seu contractio duarum syllabarum in unam syllabam facta contraria synaliphe.

Ecthlipsis est conlisio quaedam difficilis ac dura consonantium cum vocalibus aspere concurrentium.

Antithesis est litterae commutatio.

Metathesis dicitur translatio; est autem litterarum ordo mutatus.

II.

[Prothesis est quidam generalis metaplasmus qui fit per adiectionem.

Aphaeresis est quidam generalis metaplasmus qui fit per detractionem].

Epenthesis est appositio, cum inter primam et ultimam syllabam aut littera adicitur aut syllaba.

Prosparalepsis est (appositio) cum aliquid ad novissimam partem dictionis accedit.

Ectasis est extensio syllabae, quae fit cum correpta syllaba contra rationem per licentiam producitur.

Systole est correptio contraria ectasi. fit autem cum longa syllaba contra rationem corripitur aliqua necessitate cogente.

Synaliphe est elisio, quae fit cum duarum inter se concurrentium vocalium altera eliditur. —

Hanc meam tabellam a Kummrowii (p. 16 et 17) nonnullis locis recedere apparet.

Primum enim sub titulo de aphaeresi et de apocope verba, *cum aut littera detrahitur aut syllaba* non adscripsi. Haec Kummrowius postea addita esse censet. Attamen omnino non ad definitionem ipsam pertinent, sed ad subdivisionem metaplasmi, ita ut nobis de definitionum forma agentibus removenda sint.

Aliter autem res se habet sub tit. de systole, ubi verba *fit autem cum* e. q. s., ad ipsam definitionem attinentia, hanc alteri seriei, cuius est proprium illud „cum", adnumerandam esse demonstrant.

Tum ad priorem seriem adscribendae sunt definitiones antitheseos et metatheseos, quas cur Kummrowius neglexerit, detegere mihi non contigit.

Deinde ad alteram seriem referenda est etiam definitio synaliphes ubi verba *„quae fit cum ..."* ad ipsam definitionem perficiendam pertineant.

Huic denique inserendae videntur definitiones prostheseos et aphaereseos generales, quod etiam in his differentia specifica non simplici substantivo sed relativo pronuntiato adduntur.

Quae si recte disputavi Kummrowii sententia prostrata iacet. Nam primum nihil duos apud Diomedem fontes in-

dicat. Aut enim iam in fonte eius hae duae definitionum formae fuerunt, aut cur ipse mutaverit facile elucebit. Atque non recte Kummrowius dicit Charisium eum Diomedis fontem adhibuisse, cuius proprium sit illud „cum:“ Nam sub titulis de anthithesi et metathesi etiam Charisius altera forma utitur, ita ut eum his duobus in componendis titulis Donati auctorem sequi colligendum esset. Idem dicendum est de titulis de episynaliphe et de synaliphe, atque de definitionibus generalibus prostheseos et aphaereseos. Quod plane absurdum est neque in Kummrowii sententiam quadrat.

Iam loci est, ut trium artigraphorum verba diligentius conferamus.

Diomedes igitur Charisio multo propior est quam Donato. Deinde Charisius eandem ubertatem prae se fert atque Diomedes eundemque ordinem, eandem dispositionem, eadem fere exempla. Donatus contra brevissimus est; et consulto. Non solum enim definitiones generales prostheseos et aphaereseos omisit, brevissimam definitionum omnium formam praebet, sed etiam ex exemplis (quorum — cum sint in summa viginti tres — decem exhibet, quae neque apud Diomedem neque apud Charisium leguntur) ea fere tantum verba affert, in quibus metaplasmus observatur, cum Diomedes et Charisius semper fere totos versus adscribant. Subdivisiones autem litterae et syllabae, de quibus iam saepius dixi, tantum in prima capitis parte occurrunt, in secunda neglectae sunt vel a Donato ipso vel a librario; illas in fonte Donati vel eius fonte fuisse inde intellegitur, quod sub titulis de aphaeresi, de syncope, de apocope prius exemplum litterae, posterius ad syllabae metaplasmum spectat, excepto tituli de apocope altero exemplo ‘pote’ pro ‘potest’, quod non syllabae sed duarum litterarum ablationis est.

De exemplis praeterea haec annotanda sunt: tribus tantummodo locis exemplum quod Charisius non habet et apud Donatum extat et apud Diomedem. Quorum primum

sub titulo de paragoge occurrit, quem non Diomedis esse demonstravimus, alterum quod p. 442,10 legitur 'aquosus Orion' annectitur particula „item", quam nunquam in alio exemplo addendo hoc in capite adhibuit Diomedes; at interpolator adhibuit, qui 441,22 novam de aphaeresi disputationem incipere opinatus est. Quibus de causis etiam hoc exemplum interpolatum esse concludo. De tertio exemplo 442,30 nihil statuere ausim, ita ut hoc uno loco apud Diomedem et Donatum exemplum exstet, quod Charisius non habeat. In reliquis locis res ita se habet, ut viginti trium exemplorum, quae apud Diomedem legantur, sedecim apud Charisium septem apud Donatum recurrant, sex autem tribus artigraphis communia sint. Quibus ex rebus videmus inter Diomedem et Charisium artius esse vinculum, quam inter illum et Donatum.

Accedit quod sub titulis de prosparalepsi et de syncope et apud Diomedem et Charisium subdivisio deest, quod etiam in communi amborum fonte fuisse recte conicias. Quod autem Diomedes Donati de paragoge titulum, quam eandem esse atque prosparalepsin ex illius verbis concludere potuerit, non ad explendam lacunam adhibuit, luculenter probat, Donati fontem illi non in manibus fuisse. Idem etiam de titulo, qui est de syncope affirmari potest, cum in Donati fonte ubique subdivisiones illas fuisse demonstraverim.

Quare cum in universum nihil esse probaverim, cur Diomedis disputationem e Donati et Charisii fontibus conflatam esse credamus, nunc in singulos nonnullos inquiramus titulos, quibus Kummrowii sententia niti posse forsitan quis opinetur.

Kummrowius igitur contendit definitionem metaplasmi toti capiti praemissam Diomedem e duobus contaminasse fontibus. Quae opinio in solo verbo *„figurata"* nititur, quod apud Diomedem omnino ferri non potest. Dictio transformata enim sive figurata appellari potest transformatio; quid

autem transformatio figurata i. e. transformata sit, equidem nescio. Hoc autem verbo deleto res ita se habet: Donatus vel eius fons pro *„aut decoris“* posuit *ornatusve;* Charisius ac Diomedes fontis verba servaverunt; Charisius denique pro fontis verbis *„transformatio quaedam recti solutique sermonis in alteram speciem“* brevius neque elegantius scripsit *„dictio aliter quam debuit figurata.“* Vocabulum autem *figurata* in Diomedis textum ab interpolatore insertum esse iam inde patet, quod non eodem loco, quo apud Charisium, sed in fine enuntiati positum est.

Quae cum ita sint, videmus eam inter tres artigraphos interesse rationem, ut e primario quodam fonte communi pendeant quem optime servavit Diomedes, cum Donatus ab illo longissime trium artigraphorum absit.

Cuius rei unum addam exemplum. Velim enim animum attendas ad definitiones ectaseos systoles synaliphes; quarum id est proprium, ut differentiae specificae adiciantur verbis *„quae fit cum“* vel *„fit autem cum.“* Quaeritur, quisnam trium artigraphorum communis fontis verba mutaverit.

Transfiguremus igitur tres illas Diomedis definitiones in alteram formam:

Ectasis est extensio correptae syllabae contra rationem per licentiam.

Systole est correptio contraria ectasi longae syllabae contra rationem aliqua necessitate cogente.

Synaliphe est elisio duarum inter se concurrentium vocalium alterius vocalis.

Statim elucet priores duas definitiones propter adverbiales, quas dicimus, elocutiones omnino non esse ferendas, tertiam propter genetivorum multitudinem certe non elegantem. Quare hanc ob causam Diomedem definitionis formam, cuius est proprium ‘cum’ adhibuisse videmus, quod omnia fontis verba exscripserit; proxime abest Charisius; Donatus autem aut in brevius fontem redegit aut mutavit, ita ut aliam et breviorem definitionis formam adhibere posset.

De synaliphes definitione haec etiam annotem: Nequaquam Diomedis disputatio eam habet formam, ut eam e Donati et Charisii fontibus conflatam esse aliqua ratione statuere possimus. Nam etiamsi esset verisimile Charisii fontem haec habuisse: „synaliphe est cum duarum inter se concurrentium vocalium altera eliditur“ ipsum autem Charisium verba mutasse, nulla ratione reprobari potest sententia, vocabulum „elisio“ (sive ut codd. habent collisio) etiam in Charisii fonte extitisse, omissum autem esse hoc loco vel a Charisio vel a librario eius, ut semper latinam graeci appellationis versionem omisit. Postea autem aliis locis videbimus hanc Charisii exscribendi fontes fuisse rationem ut, definitione accurata plerumque neglecta ea exscriberet verba, quibus facilius tironibus quae sit res perspicuum fieret.

§ 3. Nunc quoniam probavi, exceptis nonnullis interpolatis titulis a Diomede unum eundemque fontem exhiberi, pauca de indole et dispositione huius fontis, quem postea aliis atque Kummrowius argumentis nixi Scaurum esse demonstrabimus, exposuisse iuvabit. Proficiscendum autem nobis est a Diomedis arte, quippe qui diligentissime fontem illum exscripserit.

Atque optimam esse capitis dispositionem, nemo est, quem fugiat. Praemissa enim metaplasmi definitione quattuor in partes totum caput grammaticus divisit; quarum tertia in rebus proprie metricis versata primum de syllabis contra rationem aut correptis aut productis, deinde de diaeresi eique contrario metaplasmo, denique de elisionis, quam nos vocare consuevimus, duobus generibus agit, quarta autem parte de mutatione et commutatione litterarum disserit.

Primae autem et secundae partis etiam artificiosior dispositio est. Utrique enim praemittitur definitio generalis, huic metaplasmorum, qui fiunt per detractionem, illi metaplasmorum, qui fiunt per adiectionem; deinde detractio de prima, de media, de ultima parte vocis, similiterque priore

parte adiectio ad primam, mediam, novissimam partem dictionis tractatur; in una quaque particula autem de adiectione sive detractione et litterae et syllabae separatim disputatur.

Quod ad reliquos attinet grammaticos, qui de metaplasmis disputaverunt, cum ad meam rem nihil fere novi afferant, iis quae Kummrowius (p. 20) de anonymo et de Sacerdote dixit, assentior. De Consentio autem alio loco verba faciam.

Cap. II. De Diomedis capite quod est de schematibus (p. 443).

Priusquam ad Diomedis caput quod est de schematibus tractandum accedam, paucis mihi exponendum videtur quanam ratione disserendi usurus sim. Nam quamquam quod proferam de hoc capite indicium a Kummrowii longe distat sententia, tamen malui, illius opinione primum neglecta, a diligenti disquisitione in Diomedis verba facta proficisci hisce commotus causis: Quibus enim nititur Kummrowius argumentis, haec sunt: (cf. p. 30 et 31) Diomedem complures adhibuisse fontes primum inde intellegi, quod unius cuiusque schematis complures proferat definitiones; deinde quod modo cum Donato modo cum Charisio Sacerdoteque ei conveniat; denique quod eadem definitionum formarum diversitas hoc in capite atque in antecedente occurrat. Ac ne quis diceret omnes grammaticos ex uno eodemque pendere fonte: hoc enim hac re refelli, quod apud Donatum nulla inveniretur definitio, quae itidem apud Charisium Sacerdotemque prolata esset.

Quibus ex argumentis uni tantum aliqua tribuenda est vis. Quid enim hoc probat, quod complures unius extant schematis definitiones? Demonstrandum erat Kummrowio omnibus cuiusque tituli definitionibus idem aliis verbis describi schema. Immo apud Diomedem unius cuiusque schematis complures discernuntur species.

E definitionum vero diversis formis argumentum non petendum esse iis, quae in antecedentibus paginis exposuimus, satis probatum confido.

Quod autem Diomedem modo cum Donati auctore modo cum Charisii Sacerdotisque communi fonte consentire dixit, hoc ideo complurium fontium indicium revera esse videtur, quod inter Donatum et Charisium, quod ad definitiones pertinet, fere nulla sit consensio. Hoc unum igitur argumentum ea ratione reiciemus, ut, cum plurimis rebus probaverimus Diomedis disputationem paucis interpolationibus exceptis ex uno fluxisse fonte, demonstremus, quibus causis Charisius vel potius auctor eius commotus sit, ut alias atque Donatus definitionum partes e Diomedis fonte describeret. Quibus praemonitis ad rem propositam transeamus.

Non unum eundemque auctorem a Diomede per totum de schematibus caput adhibitum esse, facile intellegitur. At hoc pro certo affirmari non potest, Diomedem ipsum hoc caput in eam redegisse formam, quam nunc praebent libri manu scripti. Quare priusquam de Diomedis fontibus et scribendi ratione disseramus, diligenter est inquirendum, num, ut in antecedente, ita etiam hoc in capite interpolatoris vestigia extent.

Atque singularem quandam speciem prae se ferunt hae definitiones, quarum unam Scauri esse legimus:

444,29 sq.: hypozeuxis est ut Scaurus ait figura superiori contraria ubi diversa verba singulis iunguntur. syllepsis est dissimilium rerum et clausularum per unum verbum conglutinata conceptio.

445,11: anadiplosis est congeminatio dictionis ex ultimo loco praecedentis et principio sequentis.

447,19: item Homoeoptoton est cum in similes casus exeunt verba diversa. homoeoteleuton est cum simili modo dictiones multae finiuntur."

Hunc enim esse codicum ordinem, unde videlicet nobis proficiscendum est, ex Keilii annotationibus ad p. 445,3 et p. 447,11 discismus; neque solum ille syllepseos definitionem, ut iam Kummrowius (vel Kiesslingius. cf. annot. 57 p. 37) monet, sed etiam homoeoteleuti male transposuit.

Quae autem quattuor illae definitiones communia habent, haec sunt: primum exemplo non addito proferuntur; deinde hypozeuxeos et syllepseos, homoeoptoti et homoeoteleuti definitiones coniunctim ita scriptae sunt, ut illarum altera ante syllepseos, harum altera ante homoeoteleuti lemma posita sit, ita ut inter se arte coniunctae a reliquis autem separatae videantur. Tum — quod in nulla alia factum invenimus — illarum priori Scauri nomen insertum est, harum priori *item* praepositum. Denique (praeter asyndeti, de qua ut verbis corruptissima (cf. Keil ann. crit. ad p. 445,5.) postea [vid. infra pag. 19] separatim verba faciam) lemma his definitionibus deest. Quare iam Kummrowius Diomedem illas ex alio fonte sumpsisse censet (in ultima pag. 37).

Hoc non concedam. Iam antea (p. 6) verisimile esse vidimus, lemmata ab interpolatore esse addita. Quin etiam si Diomedes ipse ea adscripserit, quid hoc ad fontem eius? Nonne etiam Sacerdotis et Charisii definitiones prolepseos, paronomasiae, homoeoptoti, hirmi, polysyndeti cum ex eodem eas fluxisse primario fonte in propatulo sit, carent lemmatibus? Ac ne quis dicat, Charisium fontem in manibus habuisse lemmatibus carentem, Sacerdotem talem descripsisse, ubi lemmata adscripta fuerint. Res enim eadem est: fuit sine lemmatibus scripta ars, cui nescio quis lemmata adiunxit. Quin etiam ipse contra se pugnat Kummrowius; nam exempli gratia Diomedis et Donati anaphorae definitiones, ex eodem haustas esse contendit, quarum altera lemma non habet, altera habet. Quare casui, non fontibus tribuendum vel potius uniuscuiusque grammatici licentiae, quod apud Diomedem lemmata extant, apud Donatum et Charisium desunt. Attamen recte contendimus quattuor illis de-

finitionibus proprium esse, quod non habent lemmata praefixa. Unicuique enim titulo lemma praeponitur; altera autem si additur definitio, his fere utitur Diomedes formis: 443,29: *et aliter de prolepsi disputatur.* 445,29 *et aliter analepsis fit* (cf. 446,16; 27. 447,3; 16) 445,21 *est et secunda anaphora.* Iam vides differentiam: his verba praemissa novam exhiberi definitionem praemonent; illae quinque nude adscriptae sunt, ita ut manus secundae, quam vocamus, speciem fronte ostendant. Quibus de causis has quattuor definitiones non a Diomede, sed ab interpolatore additas esse censeo; quam sententiam etiam pluribus argumentis contra Kummrowii fulcire liceat, non quin satis sit probata, sed quod ex novis illis argumentis multum lucrabimur.

Disputationes enim, in quibus illae extant definitiones, non eodem modo ortas esse ut reliquas ex conformatione earum apparere mihi videtur. Nam licet illas e duobus fontibus contaminaverit Diomedes — haec enim est Kummrowii opinio — cur non has similiter atque reliquas conformavit, ita ut exempli gratia scriberet: „Hypozeuxis est figura superiori contraria, ubi diversa verba singulis iunguntur, i. e. cum singulae res aut personis subiciuntur aut verbis?“ Quin etiam in syllepsi definienda e Kummrowii sententia (cf. p. 44) Diomedes rem ita egit, ut definitioni alterius fontis: *„syllepsis est cum singularis dictio e. q. s.“* ex altero fonte vocabulum „conceptio“ insereret, cum antea iam totum secundum fontem ad verbum exscripsisset. Quod plane perversum. At facile intellegi potest, cur interpolator definitiones illas adiecerit; in reliquis enim verba fontis, qui ei praesto erat, a Diomede iam exscripta invenit; his autem locis deerant, praeter illud „conceptio“, quod iure neglexit. Neque quemnam fontem habuerit interpolator dubitari potest. Hypozeuxeos enim et syllepseos definitiones continuo scriptas propter Scauri nomen adpositum e Scauri arte desumptas apparet, cumque anadiploseos, homoeoptoti, homoeoteleuti definitiones ex eodem fluxisse fonte atque hy-

pozeuxeos et syllepseos supra demonstraverimus, sequitur, ut etiam hae e Scauri libro desumptae sint. Quod autem sub titulo de epanalepsi, de schesi onomaton, de hirmo, (de polysyndeto), de dialyto, de parhomoeo Donati definitiones Diomedis non sunt adscriptae, cum quinque Scaurianae apud Donatum redeant, has non Scauri esse elucet; reliquis autem definitionibus interpolator Scaurianas adscribere supersedit, quoniam apud Diomedem Scauri verba iam legerentur. Qua de sententia, cum a Kummrowii recedat — omnes enim Donati definitiones inter Scauri fragmenta (p. 55, 8, 10, 11, p. 56, 16, 17, 18) recepit — infra (p. 22) fusius agemus.

Neque aliter tribus Diomedis artis locis, ubi Scauri nomen extat, res se habere videtur. Omnes interpolationum speciem praebent iam iis verbis quibus adnectuntur: 300,19 *Scaurus sic:* 300,27 *Scauro videtur et appellatio.* 403,20 *Scaurus ita definit:* Qua de causa Kummrowius fragmentum 21 non recte definisse videtur. Nam tantum verba „403,20 *adverbium est* — 403,26 *finitio continet summam*“ et inter se cohaerent et Diomedis propria apud alium grammaticum non recurrunt. Nam inde a 403,26 *adverbia sunt aut suae positionis* cum Conimiani doctrina, maximam etiam partem (180,29) cum verbis consentit Diomedes, ita ut haec Scauro non sint tribuenda.

Quae cum ita sint, quinque illas definitiones ab interpolatore e Scauri arte additas esse videmus. De sexta, asyndeti (cf. supra pag. 17) certum iudicium proferre non ausim, quod textus verborum vehementer corruptus videtur. Hanc autem proponam sententiam certe verisimilem. Etiam apud Charisium (cf. Keilii adn. ad 281,10) textum mutilatum habemus; similem defectum, quem praebuit Diomedis quidam archetypus — quod saepius factum iam superiore in capite vidimus — alius alia coniectura complere studuit. Ita nostris in codicibus scripta sunt, quae Keilius in textum recepit; in codicibus autem italicis alia fuisse scripta ex

editionibus vetustissimis (cf. Keilii ann. ad 445,5) cognoscimus. Quare hic locus nihil probat, nisi cognationem artissimam Diomedis Charisiique. (cf. Kummrowii annot. 50 p. 30).

Neque minus septem exempla, quae particula 'item' adiunguntur, interpolatoris videntur esse. Quattuor enim (445,17; 446,22; 448,2; 448,40) tantum apud Diomedem extant; unum apud Charisium recurrit (446,3); unum (444,35) etiam apud Donatum (fortasse e Charisio) interpolatum est, quod iam intellexit Kummrowius (p. 44 et p. 40 ann. 68); unum et apud Diomedem et apud Donatum extat (447,26).

Haec autem de exemplis hoc loco annotavisse satis habeo, cum minus graviora sint ad Diomedis fontes eruendos. Nunc quae restant apud Diomedem inspiciamus. Atque cum antecedente in capite viderimus nos in definitionum formis diversis niti non posse, idem hoc in capite apparet. Nam ut ibi, ita etiam hic apud Charisium utraque definitionis forma occurrit (cf. titulos de zeugmate, epizeuxi, homoeoteleuto, homoeoptoto, polyptoto, hirmo, polysyndeto, dialyto) atque Donatum utraque forma uti videmus („cum" legitur s. t. de parhomoeo, de homoeoteleuto, de homoeoptoto; casu deinde factum est s. t. de hypozeuxi, ut pro „cum" particula „ubi" posita sit).

Quare unum tantum Kummrowii argumentum est (p. 31) cui aliquam vim tribuamus: nullam apud Donatum inveniri definitionem, quae itidem apud Charisium Sacerdotemque prolata sit. Attamen hoc unum argumentum non sufficere facile apparebit. Primum enim apud Diomedem extant definitiones eius formae, ut ipsi definitioni adiungatur explicatio incipiens verbis „id est cum:" Exempli gratia prolepseos definitio haec est: *„Prolepsis est pronuntiatio* [legendum est *praesumptio*; cf. Donati verba] *rerum ordine secutarum, id est cum ante numerus verbo redditur e. q. s."* Quae quamquam per se e Charisii et Donati auctore conflata esse possunt, tamen non minus recte contendimus Do-

natum tantummodo verba ad ipsam definitionem proprie spectantia e Diomedis fonte exscripsisse, Charisium autem praeoptavisse explicationem, quam vocavimus, quippe quae definitione planior et dilucidior sit minusque severam doctrinam resipiat. Hanc autem rationem coniungendi explicationem cum definitione invenimus sub titulis de zeugmate, de paronomasia, de homoeoteleuto, de homoeoptoto. Quorum in primo et ultimo optime perspicitur, Diomedem non e duobus auctoribus doctrinam contaminasse. (cf. supra pag. 14).

Gravissimum autem nostrae sententiae argumentum invenimus in titulis de schesi onomaton (446,24) et de homoeoptoto (447,12). Nam in eam quam Charisius exhibet explicationem illud Vergilii exemplum, quod cum ea coniunxit Diomedes quadrat, non illud Ennii, quod Charisius habet, cum ad priorem scheseos onomaton modum apud Diomedem prolatum spectet. Charisius autem Ennium Vergilio praeposuit, quamquam discrepantia inter definitionem et exemplum intercederet.

Idem dicendum est de homoeoptoti definitionibus Diomedis et Charisii. Diomedes enim inter homoeoptoton, quod fit per exitum verborum in eosdem casus, et homoeoptoton, quod fit per exitum in eosdem casus est similes fines discernit, et utrique speciei apta adiungit exempla. Charisius vero posterioris definitionis exemplum ad priorem differentia illa neglecta apposuit, videlicet quod Ennii quam Vergilii exemplum apponere mallet. Nullo modo autem fieri potuit, ut Diomedes duos fontes contaminans, hac subtili differentia perspecta Charisii errores corrigeret, cum nihil in Donati fontis verbis inesset, unde Diomedes alterum auctorem erravisse animadverteret. Itaque in Diomedis disputatione uberrima et sanissima primarius nobis auctor praesto est, cum reliquae exiliores minus correcte ex illius derivatae sint; quod iam per se verisimilius videtur quam Kummrowii sententia.

Aliis etiam locis praeter eos, quos supra notavi, extant interpolationes, quibus suspicio mota est, Diomedis disputationi plures subesse fontes. Exempli gratia afferam titulum de dialyto. Certe non tam stultus fuit Diomedes, ut ex altero fonte exscriberet verba *sine coniunctionibus* (448,5) deinde ex altero verba *nulla coniunctione interposita.* Immo interpolator, qui etiam Diomedis exempla illis, quae plus haberet Charisius, inepte auxit, illud *nulla coniunctione interposita* adscripsit, ut verba minus dilucida *sine coniunctionibus* explicaret. Neque minus in margine quondam scriptum fuit *superiori contraria* (scilicet figura); quod in Diomedis verborum contextu caret sensu, quoniam cum vocabulo „oratio" coniungi non potest.

Quae cum ita sint, de eis, quae a Diomedis codicibus in cap. de schematibus traduntur, haec statuere possumus: ea quae pag. 16 notavi ab interpolatore addita sunt ex arte Scauri desumpta. Reliqua fere omnina Diomedes ipse e Scauri arte descripsisse videtur. Cuius rei iam supra argumenta attulimus (p. 19); Kummrowius, ex cuius sententia tantum eae definitiones, quae et apud Diomedem et apud Donatum legantur, Scauro vindicanda sint (quod p. 37 exposuit), tamen omnes Donati definitiones inter Scauri fragmenta posuit (cf. K. p. 40). Quod eum parum apte fecisse perspicuum est. Nam si verum esset, Donatum eas, quae apud Diomedem redeant definitiones, e Scauri arte omnibus verbis servatis sumpsisse, concludendum esset, eas quae apud Diomedem non legantur ex altera non e Scauri arte derivatas esse. Nihil autem probat Diomedem Scauro neglecto alium adhibuisse fontem: nam etiam Donatum plures adhibuisse fontes non reicienda est opinio et postea argumentis firmabitur; neque ullum extat argumentum, cur Donatum artius se applicuisse ad Scaurum quam Diomedem credamus. Nos contra vidimus Diomedem Scauri verba integriora servasse, exceptis illis quinque locis, in quibus non verba mutaverit, sed partem omiserit; ibi interpolator defi-

nitionem Scauri a Diomede explicatione sola contento omissam esse miratus Scauri definitionem addidit.

Quae cum ita sint, et priores Diomedes definitiones et explicationes Scaurianas esse censeo, illis autem locis, ubi Diomedes Scauri definitiones neglexit, cum explicationibus, quas exhibet, interpolatoris verba coniungenda sunt.

Deinde ex eis definitionibus sive explicationibus, quae apud Diomedem verbis „et aliter fit“ incipiunt, haec statuere posse mihi videor: epanalepseos (445,29) paronomasiae (446,16) parhomoei (447,3) homoeoptoti (447,16) Scauro tribuo, quod cum Scaurianis definitionibus artissime cohaerent; illas enim generales, has speciales esse facile intelligitur. Anaphorae autem et prolepseos (443,29; 445,21) nullo vinculo cum Scaurianis cohaerent. Accedit, quod illae, quas Scauri esse dico, et omnes eisdem annectuntur verbis et apud Charisium redeunt, quo eas in fonte communi fuisse recte concludas; prolepseos vero et anaphorae et verbis paullo aliter conformatis adiunguntur, et cum apud alium grammaticum non redeant, in proprio Diomedis fonte fuisse vel ab interpolatore additae videntur.

Denique omnia quae de zeugmate (444,4 sq.) leguntur ex uno eodemque fonte fluxisse apparet, ita ut Scauro tribuenda sint.

Nunc autem loci est quaestionem antea remotam solvere. Vidimus enim Diomedis capiti de metaplasmis unum subesse fontem, quem eundem secutus est Charisius. Quaeritur, num hunc fontem Diomedes et Charisius etiam in capite de schematibus scribendo adhibuerint. Kummrowius quidem, ut et Donato et Charisio in utroque capite unum eundemque fontem subesse crederet, adductus est observationibus, quae de definitionum conformationibus protulit. Quas cum fallaces esse supra demonstraverimus, ut in utroque capite unumquemque artigraphum eodem fonte usum esse demonstremus, in definitionum forma niti non debemus. At alia extant argumenta. Nam inter Diomedem et Chari-

sium in utroque capite prorsus eandem intercedere rationem vidimus, quod ex his exempli gratia appositis definitionibus apparebit:

Diomedes.	Charisius.
ectasis est extensio syllabae, quae fit cum correpta syllaba contra rationem per licentiam producitur.	ectasis est cum correpta syllaba contra rationem producitur.
Diomedes.	Charisius.
prolepsis est *praesumptio* rerum ordine secutarum id est cum ante numerus verbo redditur, quam personae definiantur.	prolepsis est cum ante numerus verbo redditur, quam res personaeve definiantur.

Neque aliud de Donato statuendum videtur. Nam in utroque capite inter eum et Diomedem eadem intercedit ratio. Quod autem in capite de metaplasmis paullo longius a Diomede abest, quam in capite de schematibus, hoc inde explicandum est, quod, ut antea vidimus, in capite de metaplasmis fontis sui verba consulto in brevius redegit, in capite de schematibus, quae exscripsit, ad verbum maximam partem exscripsit.

Quae cum ita sint, utrumque caput Diomedem maximam partem e Scauro sumpsisse censeo.

Iam rem eo perduxi, ut disputationem de iis capitibus, quae eadem Kummrowius tractavit, absolverim. In reliquorum igitur capitum eruendis fontibus Diomedis meam libere sequar viam id praecipue intuens, ut Scauri artis reliquias detegam.

Cap. III. De Diomedis capite quod est de vitiis orationis [1]).

1. Quae apud Diomedem p. 449,5—11 leguntur dispositionem continent earum rerum, quae usque ad 456,2 scriptae sunt. Quam dispositionem Diomedis apud alium nullum invenimus grammaticum. Reliqui enim primo de barbarismo et soloecismo, tum „de ceteris vitiis“ agunt. Apud Diomedem vero tria generalia orationis vitia discernuntur, obscurum, inornatum, barbarum; barbari autem generis species sunt duae.

Hanc optimam dispositionem a Diomede inventam esse, ne credas, velim inspicias haec verba Quintiliani (I 5,1) ... *cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit ... totidem vitia, quae sunt supra dictis contraria.* Dilucido igitur obscurum, inornatum ornato, emendato barbarum genus cum oppositum sit, Diomedis dispositionem quodammodo cum Quintiliani cognatam esse vides. Itaque Diomedem hanc dispositionem e fonte illo Quintilianeo sumpsisse credas, de quo Kummrowius p. 36 egit. Prorsus enim facio cum Kummrowio, cuius sententiam iustis causis reici posse nego. Quod autem apud Pauckerum (kleine Studien) p. 9 legimus: „aber da wo er (scil. Diomedes) den Quintilian ausschreibt nennt er ihn nicht“, aliter mihi explicare non possum quam inde, quod Pauckerus illam de Diomedis latinitate disputationum scripserit, priusquam Kummrowii dissertatio edita fuerit. Is quidem fonti prudenter ac caute nomen indere ausus non est; nos postea nonnullis argumentis nixi verisimilem coniecturam proferemus.

Hunc autem fontem Diomedem in priore capitis de vitiis orationis parte tanquam ducem secutum esse intellegitur, quod obscuritatis octo, inornatae orationis quinque

1) Collationem disputationum, quae apud Diomedem, Donatum, Charisium, Sacerdotum de vitiis orationis extant, invenies p. 42 sqq.).

species eodem ordine, quo in dispositione proponuntur, postea tractantur. Eum ordinem Diomedis proprium esse intellegitur ex hac tabella, in qua numeri Diomedis titulis appositi, quonam ordine ab aliis artigraphis tractata sint vitia, edocent. Reliqui enim unum fontem primarium a Diomedis diversum secuti sunt. Charisius vero paullo ab aliis eo differt, quod ellipsin quarto exhibet loco, quam ceteri septimo ponunt:

Diomedes.	Charisius.	Donatus.	Pompeius.	Sacerdos.	(Isidorus).
acyrologia	1	1	1	1	4
pleonasmus	3	3	3	3	7
perissologia	5	4	4	4	6
macrologia	6	5	5	5	5
amphibolia	10	10	10	13	
tautologia	7	6	6	6	2
ellipsis	4	7	7	7	3
aenigma					
tapinosis	8	8	8	8	
aeschrologia				3	
cacenphaton	2	2	2	2	1
cacozelia					
cacosyntheton	9	9	9	9	

Atque ut ad singula perscrutanda transeam, primum sex definitiones inter ceteros clucent hae:

449,12: Acyrologia est ... non propriis dictionibus *obscurata sententia.*

449,26: (Macrologia) Scaurus ita definit: longa descriptione *producta sententia.*

450,1: Amphibolia est vitio compositionis in ambigno *posita sententia.*

450,19: Ellipsis est necessaria dictione *fraudata sententia.*

450,25: Aenigma est per incredibilia *confusa sententia.*

451, 8: Cacozelia est per affectationem decoris *corruptia sententia.*

Pleonasmi autem definitionem adscribere non ausus sum, primum quod eius forma non prorsus eadem est atque illarum sex, deinde quod, cum illarum nulla neque apud Donatum neque apud Charisium neque alium artigraphum redeat, pleonasmi apud Charisium 271,1 legitur. Tum Charisii definitiones pleonasmi et ellipseos (271,3) ex eodem fonte fluxisse apparebit forma earum collata.

Pleonasmus est sententia verbo plus quam necesse est abundans.

Ellipsis est sententia verbo minor quam necesse est.

Ellipseos autem definitionem Diomedes non ex eodem fonte exscripsit, unde sex illas, quas supra notavi.

Sex autem illas et propter formam et, quod Diomedis propriae sunt, ex uno eodemque fonte fluxisse statuamus necesse est, quem Scauri artem fuisse inde intellegitur, quod una earum (macrologiae) e Scauro desumpta est.

Deinde duae aliae sunt definitiones, aeschrologiae (450, 32): *aeschrologia est vitio compositionis inverecunda oratio* et cacenphati (451,3) *cacenphaton est vitio compositionis inverecunda suspitio*, quas propter formarum similitudinem ex eodem fonte derivatas esse vere contendere possumus. Etiam hae apud alium grammaticum nullum leguntur; aeschrologiae mentionem fecit praeter Diomedem Sacerdos (VI 453, 19), cuius ex fonte propter magnam verborum differentiam desumpta non potest esse. Attamen ex Sacerdotis verbis: „inter cacenphaton ergo et aeschrologiam hoc est, quod cacenphaton honestis verbis turpem continet sensum, aeschrologia vero obscenis verbis honestum exprimit intellectum“ edocemur, a Diomedis auctore, quid inter cacenphaton et aeschrologiam intersit, bene definitionibus expressum esse.

Denique notatu dignum est, praeter Diomedem nullum alium artigraphum aenigma aut cacozeliam inter vitia orationis referre. Quin etiam Diomedes p. 462,18 de aenigmate tropo eisdem verbis quibus sub eodem titulo reliqui grammatici (cf. I, 276,16; IV, 205,5; VI, 462,19) agit, cum, quae

inter vitia orationis relata est aenigmatis definitio, ab illa sub titulo de tropis extante toto coelo absit. De Cacozelia autem praeter Diomedem tantummodo Sacerdos verba fecit; at inter schemata numeravit. Quare cum iam verisimile sit Diomedem etiam cacozeliae definitionem non e Sacerdotis fonte hausisse, perspicuum fit verbis grammaticorum collatis.

Diomedes 451,8.	Sacerdos 455,12.
Cacozelia est per affectationem decoris corrupta sententia, cum eo ipso e. q. s.	Cacozelia est quae fit duobus modis aut magnarum rerum humilis dictio aut minimarum oratio tumens.

Apud Donatum hoc in capite (IV, 394,25—395,26) Scauri vestigia non extare non mirum est, quod etiam totius capitis dispositione a Diomedis recedit; uberius autem intelligitur macrologiae definitione Donati (395,7) cum Scauri collata. Neque Charisium Scauri artem in manibus habuisse, eisdem de causis statuere possumus.

At apud Diomedem et Donati et Charisii verborum similia extant. Cum Charisianis enim congruunt definitiones pleonasmi, perissologiae, macrologiae prior, tapinoseos, cacosyntheti; aeschrologiae autem altera (450,33—451,2) cum Charisiana ad verbum congruit cacenphati, qua de re postea agam; cum Donatianis deinde ad verbum consentit altera definitio ellipseos; tautologiae autem Donati definitioni propior est, quam Charisii; perissologiae e Charisii auctore sumptae verba *sine ulla vi rerum* e Donati auctore addita esse tunc statuere cogeremur, si constaret illa non a Charisio, quamquam in fonte extarent, omissa esse; denique quae in fine tituli de amphibolia leguntur, maiorem partem apud Donatum minorem apud Charisium redeunt.

Nunc, ut eruamus, quomodo Diomedis disputatio contaminata sit, animadvertamus, quid intersit inter hoc caput et caput de schematibus, ubi Diomedem maiorem partem Scaurum sequi vidimus paucis tantummodo aliis ex fontibus verbis insertis. Ibi enim eae partes, quas e duobus fonti-

bus coaluisse Kummrowius falso opinatus est, optime coniunctionibus interpositis inter se coniunctae sunt, quod nobis argumentum praebuit unum tantum subesse fontem statuendi; eae vero, quas aliunde desumptas esse apparebat, alio modo ita adpositae sunt, ut statim extrinsecus eas additas esse perspicuum sit. Quae sententia capitis de vitiis orationis conformatione optime adiuvatur, in quo fontes a Diomede contaminati nullo vinculo coniuncti exhibentur. Unus tantum locus est (titulus de acyrologia), ubi inter priorem definitionem et Scauri „vel" particula interposita est; reliquis nullum extat vinculum (vid. ex. gr. tit. de ellipsi 450,19 de aeschrologia 450,32).

Atque hoc primum elucet, quod iam antea adumbravimus, verba initii capitis (449,5 sq.) Scauro tribuenda esse. Nam omnium grammaticorum solus is, qui illa verba scripsit, aenigma et cacozeliam inter vitia orationis rettulit, aenigmatis autem et cacozeliae definitiones e Scauro desumptae sunt. Itaque fons ille Quintilianeus — nam Quintiliani doctrinam illa resapiunt — quem Kummrowius e capite de compositione enucleavit, quem idem in capite de schematibus adhibitum esse demonstravit, Scaurus fuit. Atque cum Quintilianum in grammaticis institutionum partibus Palaemonis arte usum esse inter viros doctos constet, Scaurum Palaemonis doctrinae rationem habuisse censeo. Quod optime in temporum rationem quadrat. Nam cum Palaemon sub Tiberio, Scaurus sub Hadriano imperatore floruerit, consentaneum est, Scaurum in arte sua conscribenda eum respexisse, qui tunc temporis inter grammaticos nobilissimus esset.

Nam ne Scauri et Quintiliani disputationum similitudinem ita explicem, ut illum huius institutionibus usum esse contendam duobus impedior argumentis. Primum enim per se verisimilius est, Scaurum in arte grammatica componenda ad grammaticum, non ad rhetorem confugisse; deinde a

Quintilianeo Diomedis auctore, i. e. a Scauro, bis (443,7; 456,29) Quintiliani pauca verba nomine addito proferuntur. Quod facillime inde explicatur, quod Scaurus Quintiliani opinionem ibi attulerit, ubi — hoc autem saepius factum esse constat — a Palaemone ille dissentiret. Illi enim loci ita comparati sunt, ut non totius disputationis, sed singularis cuiusdam opinionis vel definitionis Quintilianus auctor nominetur.

Deinde in capitis de vitiis priore parte ex iis quae cum Donati vel Charisii verbis congruunt, cum maximam partem ex illorum fontibus desumpta videantur, tamen nonnulla interpolatori tribuenda sunt.

Ita amphiboliae definitioni e Scauri arte desumptae adiungitur exemplum *(aio de Aeacida Romanos vincere posse)*, quod quamquam apud Charisium (271,28) recurrit, tamen longe aliis utroque loco explicatur verbis; quare non e Charisii fonte desumptum sed etiam in Scauri arte fuisse videtur scriptum. Alterum autem exemplum eiusque explicatio *(item: certum est Antonium e. q. s.)* interpolatori videtur tribuendum propter *item* particulam. Quae in titulo de amphibolia duobus praeter hunc locum legitur cum Donato ad verbum fere congruentibus: *fit item per communia verba* (450,10); *item fit per distinctionem* (450,13). Denique etiam verba: *„fit praeterea plurimis modis, quos percurrere omnes, ne nimis longum sit, non oportet“* vehementer mihi suspecta sunt; quamquam si quis dicat, haec verba iam in Donati fonte existisse, unde ea Diomedes descripserit, eum refutare non possum. At Donatum saepius audimus dicentem se fontem suum in brevius redacturum, quod factum esse, brevitate artis eius probatur. Apud Diomedem autem similis annotatio invenitur 453,5: *haec vitia praelocuti controversiam de nomine pertinacibus relinquimus.* Quae eadem leguntur apud Donatum p. 393,3 integriora: *nos cavenda haec vitia praelocuti controversiam e. q. s.* At cum apud Donatum in fine totius capitis posita sint, neque revera quidquam de

mytacismo, labdacismo, reliquis barbarismis proferatur, apud Diomedem uber de illis sequitur disputatio, ita ut verba *haec vitia praelocuti* e. q. s. plane stulta et inepta videantur. — Quamquam in hac re utpote lubrica non persistam.

Restat, ut unum detegam Diomedis textus vitium. 450,32 post aeschrologiae definitionem e Scauro desumptam ea sequuntur verba, quibus Charisius cacenphaton explicat; quare Diomedis textum ita restituam: *aeschrologia est vitio compositionis inverecunda oratio; ⟨cacenphaton est⟩ compositio verborum* e. q. s. Nam cacenphati, non aeschrologiae duplex extat definitio. Hoc quoque loco, quam supra annotavimus (p. 6), suspicio movetur, lemmata non ab ipso Diomede sed a librario eius esse addita, qua re facile perturbatio quam modo correxi fieri potuit.

2. De barbarismo.

Iam inquiramus, num etiam aliis locis Diomedes Scaurum adhibuerit; quod in capitibus de barbarismo et soloecismo factum esse inde verisimile fit, quod eodem exhibentur ordine, quem Scaurus initio capitis de vitiis orationis proposuit.

Kummrowius quidem (p. 39) suspicatur Diomedi praeter Scaurum et alium incertum auctorem subesse Cominianum, quem etiam Charisius adhibuerit. Itaque ab hac nobis proficiscendum est sententia.

Videamus igitur Kummrowii argumenta; qui (p. 39) „Cum Charisius, inquit, disserens de barbarismo et soloecismo priorem duorum auctorum, quos ibi exscripsit, Cominianum fuisse ipse testetur et cum apud Diomedem alterius Charisii auctoris nullum reperiatur vestigium, Cominiano autem ea, quae in initio de barbarismo leguntur, certe debeantur (cf. Diom. 451,21—33. Com. 265,2—11): vix dubitari potest, quin Cominiano ea quoque

vindicanda sint, quae Charisius et Diomedes de ceteris vitiis .... a communi auctore derivaverunt."

At primum non recte dicit, alterius Charisii auctoris apud Diomedem nullum inveniri vestigium. Quaeso enim videas haec:

1. Char. 266,12: inter barbarismum et soloecismum hoc interest, quod barbarismus in singulis verbis fit in quocumque ordine contra morem Latinitatis, soloecismus autem, *quando discrepantes inter se dictiones habet* ⟨oratio⟩.

Diom. 455,34: inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod soloecismus in pluribus partibus fit *et discrepantes et inconsequentes inter se dictiones habet.*

2. Comin. 265,6: barbarismus est una pars orationis corrupta.

anonym. Char. 265,24: barbarismus est dictio *vel pronuntiatione vel scriptura* aliqua sui parte vitiosa.

Diom. 451,26: barbarismus est *enuntiatione vel scripto* una pars orationis corrupta.

3. anon. Char. 267,23: soloecismus est non conveniens rationi sermonis verborum iunctura.

Diom. 453,23: (soloecismus) est non conveniens rationi sermonis iunctura verborum.

Haec obstant Kummrowii sententiae. Quamvis enim Diomedis disputatio simillima sit Cominiani, tamen extant anonymi Charisiani vestigia, ita ut diligenter nobis inquirendum sit, quid huic, quid illi, quid neutri tribuamus. Videbimus autem Diomedem in cap. de barbarismo secutum esse duos auctores, quorum alter Scaurus est. Neque minus apparebit, Diomedem duos fontes secutum non ea arte usum esse, ut eos diligenter coniungeret. Immo facile singulorum ut ita dicam pannorum suturae cognosci possunt.

Atque Kummrowius (p. 39 ann. 63) priorem capitis de barbarismo partem Diomedem e Cominiani libro hausisse censet, quam ad probandam sententiam collatam duorum grammaticorum (451,21—33 = 265,2—11) doctrinam sufficere

primo oculorum obtutu apparet. Quae apud Diomedem inde a 451,33 leguntur maximam partem ex alio fonte fluxisse, qui certe non Charisii anonymus fuerit, Kummrowii sententia mihi videtur esse. Attamen hac ratiocinandi via progressus rem non absolvit. Quae enim Diomedes p. 451,33 sq. habet, quamquam a Cominiano recedunt, tamen similitudinem quandam eius ostendunt; per se igitur reicienda non est opinio Diomedem non ipsum Cominianum sed utrumque eundem secutum esse fontem, quem priore parte uterque integrum servaverit, posteriore Cominianus brevitatem appetens, Diomedes alterum inserendo mutaverit.

Neque minus fieri potuit, ut Cominianus duos contaminaret in hoc capite conscribendo fontes. Nam alios aliis locis eum secutum esse fontes ex hoc exemplo perspicuum fiet: paginae enim 180 vers. 26 inter accidentia participio numeratur qualitas. Qualitas autem apud reliquos Charisii auctores id significat, quod nos modum appellare consuevimus (cf. 164,16: *qualitas verborum aut finita est aut infinita* e. q. sq.). At hac notione qualitas a Cominiano adhibita esse non potest, cum participium semper infinitae qualitatis sit. Haec igitur qualitas participio non accidit; ea vero accidit, quam apud Diomedem ita definitam legimus (342,19) *qualitates verborum sunt hae: absoluta sive perfecta, inchoativa, iterativa sive frequentativa* e. q. s. Hanc enim qualitatem participio accidere Diomedes in disputatione de participio cum Cominiani saepe ad verbum congruente dicit (cf. 401, 19). Quare etiam apud Cominianum hanc vim habere qualitatem vere videor contendere posse. Attamen Cominianus 266,25 qualitatem ea notione adhibet, qua Charisius pag. 164,16. Itaque Cominianus duobus videtur usus esse fontibus, quorum uterque alium qualitati inderet sensum. [Annotasse iuvat, apud Diomedem 344,11; 344,15; 342,27; 338,11; 401,15; 454,25 qualitatem semper idem significare, quod sub titulo de participio.]

Deinde cum probari nequeat, a Cominiano in cap. de barbarismo unum tantum nobis praeberi fontem, de Donati capite, quod est de barbarismo (392,5—393,4), annotandum est, non modo nihil probare eum unum secutum esse fontem, sed etiam plurium vestigia extare.

Primum enim verba (292,7) *barbarismus fit duobus modis pronuntiatione et scripto; his bipertitis quattuor species subponuntur* hoc promittere videntur (quod etiam apud Servium et Pompeium absolutum invenimus) primo barbarismos pronuntiationis, deinde scripti expositum iri. Sub titulo autem de barbarismis pronuntiationis dicendum erat de temporibus et accentibus (cf. Consentium V, 386,14). Haec igitur e fonte fluxisse videntur, in quo ex differentia barbarismorum pronuntiationis et scripti generalis dispositio sumpta fuit, cum in Donati capite tantum hic et illic annotetur, barbarismum enuntiatione vel scripto fieri. Dispositio generalis enim haec est, ut quattuor barbarismi genera discernantur, quibus subdivisiones litterae, syllabae, temporis subponuntur. Deinde de tonis (392,22) sive accentibus agitur eo modo ut hoc loco dispositio initio capitis prolata servata sit, nisi quod etiam ex altera dispositione ut barbarismi adspirationis ita etiam barbarismi, qui fiunt in accentibus, expectentur.

Deinceps quae pag. 392,27—393,4 leguntur, et in dispositione non promissa sunt, et inter se pugnant. Postquam enim singulariter annotatum est, barbarismum etiam per hiatus fieri, iterum exponitur, hiatus barbarismum speciem esse barbarismorum malae compositionis. Quae quomodo ex pluribus fontibus conscripserit Donatus, inquirere omittamus; vestigia plurium fontium detexisse satis habemus.

Atque si Donati disputationem, quatenus eam ex uno eodemque fonte fluxisse verisimile est, cum Cominiani conferimus, videmus simillimas eas esse. Quamquam ordine paullum differunt. Nam Donatus de barbarismis, qui in temporibus fiunt, semper ultimo, Cominianus semper primo

loco verba facit; praeterea Donatus immutationem ante transmutationem, Cominianus hanc ante illam posuit. Quod autem Cominianus nihil de transmutatione et immutatione syllabae et temporis habet, aut Charisio aut ipsi Cominiano, qui in exscribendo fonte suo in fine capitis brevior fuit, iure tribui potest. Neque minus fieri potest, ut disputationes de immutatione et transmutatione syllabae et temporis a Donato ut aequa fieret dispositio adiectas esse, contendamus; cuius sententiae argumentum ex eo colligimus quod Donatus exemplum *fervere Leucaten* e titulo de temporis detractione in titulum de immutatione transtulisse videtur. Utraque autem sententia idem valet et in nostram quadrat opinionem, Donato et Cominiano exceptis iis qae apud Cominianum in initio capitis leguntur, eundem subesse fontem. Nam cum in verbis propter brevitatem utriusque, quae in fonte nondum extitisse videtur, rarior consensus deprehendatur, quod ad exempla attinet, res ita se habet, ut quinquies (s. tit. de adiect. temp., litt., syll.; de detract. syll.; de immut. litt.) uterque idem exhibeat exemplum, ter (sub. tit. de dectract. temp., litt.; de transm. litt.) differentia occurat.

Deinde etiam Diomedis disputatione adhibita haec de exemplis trium grammaticorum statuere possumus:

I. Diom. Com. Don. eadem habent exempla:
   1). sub titulo de adiectione temporis
   2) „ „ „ „ litterae

II. Don. et Com. idem habent exemplum, aliud Diomedes:
   1) sub titulo de adiectione syllabae
   2) „ „ „ detractione syllabae
   3) „ „ „ immutatione litterae

III. Diom. et Com. idem habent exemplum, aliud Donatus:
   1) sub titulo de detractione temporis.

Ex hac re, quam ultimo loco notavi, novum colligo argumentum, Donatum exemplum *fervere Leucaten* e titulo de temporis detractione ad titulum de immutatione temporis

transtulisse, novum autem illi addidisse. Qua re constituta videmus Donatum a Cominiano multo propius abesse quam Diomedem.

Iam videamus reliqua. Primo autem ea perscrutemur, quae apud Diomedem 452,23—29 leguntur. Haec aliam prae se ferunt speciem atque maior pars capitis. Nusquam enim praeter hunc locum discernitur inter primae, mediae, novissimae partis vocis detractionem et adiectionem. Similem autem divisionis rationem iam a Scauro in capite de metaplasmis adhibitam invenimus. Deinde aliud accedit argumentum, quo adducti versus 23—29 capitis de metaplasmis auctori, i. e. Scauro tribuamus. Utroque enim loco graecae significationes adhibentur, quod in tractandis barbarismis aliorum nemo grammaticorum, Diomedes praeter hunc locum etiam 452, 28 et 453,1 facit (vide infra annotationem)[1]). Quos duos locos Scauro tribuendos esse apparet. Nam quae de parallage sive mutatione litterae profert etiam exemplo, quod adhibet, a Cominiano et Donato differunt; quae autem de ecthlipsi 453,1 leguntur idem tractant, quod antea sub titulo de detractione litterae exposuit, unde duos eum secutum esse fontes intellegitur.

Est praeterea alia quaedam observatio, qua multum lucrabimur non tam ad discernendos Diomedis fontes quam ad indolis ac naturae differentiam definiendam, quae inter priorum et posteriorum technicorum de barbarismo et soloecismo disputationes intersit.

Nam qui verba et apud Cominianum et apud Diomedem exstantia: *„sed hoc vitium in soluta oratione nomen suum retinet, ceterum apud poetas metaplasmus vocatur, soloecismus autem schema“* legerit, is iure mirabitur exempla barbarismorum et soloecismorum omnia fere e poetarum carminibus petita

1) graecas adhibitas esse significationes a prioribus artigraphis iam inde verisimile est, quod has artis partes e graecis fontibus primariis fluxisse perspicuum est. cf. Kummrow. ann. 34 p. 17. cf. Quintil. I. 5. 40.

esse. (cf. quae infra de Consentio disputavimus.) Neque per se verisimile est, eos grammaticos, qui primi Graecorum doctrinam latino sermoni applicaverint, tam inconstantes sibi fuisse, ut, cum modo dixissent, barbarismum in soluto tantum sermone nomen suum retinere, maiorem exemplorum partem e poetarum libris peterent. Attamen cum metaplasmorum et schematum multo maior numerus esset in latino sermone quam barbarismorum et soloecismorum, facile adducti sunt artigraphi, ut illorum pro horum exemplis adhiberent, qua in re nihil vituperandum est, dummodo ea fit ratione, qua Quintilianum usum videmus. Eius velim inspicias haec verba: (I, 5,17) *Plus exigunt subtilitatis quae accidunt in dicendo vitia, quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi cum in versus inciderunt.* et: (I, 5,35), *sive „amarae corticis" seu „medio cortice" per genus facit soloecismum — quorum neutrum quidem reprehendo, cum sit utriusque Vergilius auctor; sed fingamus utrumlibet non recte dictum* — e. q. sq. Iam vides eum quasi veniam petere, quod versus partem exempli loco posuerit. Quare censeo eum auctorem quem Diomedes 452,23—29 exscripserit antiquiorem esse reliquorum. Quamquam enim „nantes" et „linque" apud Vergilium inveniuntur, tamen, cum sola verba adhibeantur, barbarismi exempla sunt; sin toti versus adscripti essent, metaplasmi. Simili autem modo reliquis locis, quos e Scauri libro ipso fluxisse demonstravi non versus sed singula afferuntur verba.

Posteriorum autem temporum artigraphi, ut disputationibus maiorem adderent splendorem, male quadam litterarum scientia usi totos versus quin etiam poetarum nomina adscripserunt. Cuis rei ex ipsius Diomedis disputatione exemplum afferre possumus. Nam 452,8 apud Diomedem, quod neque a Cominiano neque a Donato factum invenimus, barbarismorum exempla primo singula verba ponuntur, quae postea versibus adscriptis tanquam probantur. Tertium autem exemplum, quod est *alituum*, quod propter *item* parti-

culam interpolatum esse suspicamur, tamen (hoc paullo post verisimile fiet) ex eodem fonte fluxisse videtur, ubi priora duo exempla extarent; hac enim ratione usum esse interpolatorem in capite de schematibus vidimus, ut ea, quae fonte Diomedes minus haberet, ex eodem fonte suppleret. Atque in primario fonte tantummodo singula verba exempli causa posita fuisse, versus autem postea additos, huius rei duo habeo argumenta: primum enim in versu e Terentii Andria petito: *nunquam huc tetulissem pedem* non „tetuli" sed „tetulissem" extat, cum 452,8 *et tetuli pro tuli* legatur, ita ut utrumque locum ab eodem exempli causa positum esse non verisimile sit. Deinde si tria exempla diligentius inspicimus videmus unum esse adiectionis ad primam, alterum ad mediam, tertium ad ultimam partem vocis; quare ex illo fonte haec desumpta videntur, unde versus 452,23 sq. fluxerunt; in hoc autem singula tantum verba adscripta videmus, versus non additos. Quare verba p. 452,8 ita e Scauro, fonte primario, manasse apparet, ut nescio quis intercedat auctor, qui Scauri doctrinam cum aliis tum hac in re mutaverit, quod singula verba perperam versibus totis probaret. Quo ex auctore tota reliqua Diomedis disputatio exceptis eis, quae in fine leguntur, pendere videtur. Omnes enim tituli excepto titulo de adiectione temporis iisque, quos ex ipso Scauri libro desumptos diximus, ad tituli de adiectione syllabae exemplum conformati sunt.

Itaque Diomedes in capite de barbarismo conscribendo et Scaurum et auctorem ex illo pendentem adhibuit. Neque mirum hoc nobis ad Charisii institutiones spectantibus videtur; nam is quoque saepissime adhibuit auctores, quorum alter ex altero penderet. Quod ut intellegas — sunt autem plurima exempla — quaeso conferas haec: in capite Charisii de adverbio Cominiani verba (180,27—181,16) cum anonymi (181,17 sq.); ex capite Charisii de ablativo casu Cominiani disputationem cum anonymi (148,3 sq.).

Neque non intellegere possumus, cur Diomedes hac conscribendi ratione usus sit. Vidimus enim eum in cap. de vitiis orationis tanquam ducem Scaurum secutum; cuius ex arte in capite de barbarismo scribendo, quod illius pars est, tantum pauca desumpsit, cum fons ei praesto esset arte Scauriana eo uberior et splendidior, quod non singula verba tantum sed totos versus adscriptos haberet. Nonnullis certe locis inter Scaurum et Scaurianum auctorem discrepantiae fuerunt, quorum unam nobis tradere placuit Diomedi verba (452,23) *hae autem species* e. q. sq. inserundo; aliis locis fortasse differentia non tanta erat, ut utriusque fontis verba adscribere cogeretur; aliis locis differentia omnino non fuit, ut in initio. Prima enim capitis verba, cum inter generalem et specialem discernatur definitionem, Scauri quem e capite de metaplasmis cognitum habemus modum ratiocinandi resipiunt.

Ex hoc autem Scauriano auctore Cominiani et Donati communis fons fluxisse videtur; aliter enim res explicari non potest. Alia omissa sunt ut verba definitionis haec: *enuntiatione vel scripto ... ac per hoc non Latina*, reliqua, quae facile in tabella quam adiunxi (cf. pag. 51 sqq.) conspici possunt, aliunde addita sunt ut e. gr. exempla sub titulis de adiectione et detractione syllabae, ubi Donatus et Cominianus inter se congruentes a Diomede recedunt. Donati vero definitionem et expositionem (392,5—10) ex altero fonte additas esse iam supra demonstravimus.

De reliquis Diomedis capitis partibus (453,3 sq.) nihil certi proponere possum.

Interpolationes denique eicere non multum refert, quod nihil interpolatum videtur nisi pauca exempla. *Item* particula autem etiam hoc in capite ansam cognoscendi interpolatoris verba praebet; e. gr. verba (452,32) *item lerigionem similiter pro religione mutatis r et l litteris* interpolatoris pravitati tribuamus: certe non opus fuit duo adferre exempla litterarum l et r mutationis.

Hoc loco, ut antea (p. 17) promisi, pauca de Consentii arte de barbarismo et metaplasmo addam (ap. Keil. V, 386 sq. cf. Kummr. p. 20).

Atque Consentii artem perlegentibus nobis perspicuum fit, eum complurium grammaticorum disputationes in manibus habuisse, suo autem ingenio iudicioque disposuisse, auxisse, mutasse. Ita exempli gratia in pagina 386 de multis diversisque definitionibus suam opinionem profert; ita p. 391,25 aperte contra plurimorum rationem pugnat; quae verba ut memorabilia apponam: *in quo equidem non imitabor eos scriptores, qui exempla huius modi vitiorum de auctoritate lectionum dare voluerunt; quo ea vitiorum facta est confusio, ut paene iam nemo intellegat, quid barbarismus sit, quid metaplasmus; nam plerumque alii atque alii, interdum ii ipsi et metaplasmum et barbarismum dicentes eiusdem lectionis utuntur exemplis, eoque cuncta confundunt.* His verbis eadem, quae modo nos (pag. 36) vituperavimus, technicis iure vitio vertit.

Totius autem artis rationem inspicientes, eum non tam commentarium in unam vel aliam artem scripsisse intellegimus, sed suo Marte novam composuisse e reliquorum artigraphorum, suo iudicio vitia eorum emendaturus. Quare multis locis eum a reliquorum doctrina et verbis dissentire consentaneum est, aliis, ubi idem censeret, verba integra exscripsisse.

3. De soloecismo.

Summi momenti est enucleare, quot in capite de soloecismo conscribendo Charisius (p. 266,15—270,20) fontes in usum vocaverit. Nam cum primus auctor, cui omnia inde a 266,15—267,22 debentur, Cominianus sit, Keilius, reliqua utrum uni an duobus tribuenda sint, dubitat. Nam ad 268,3 haec annotat; *transmutationis exemplo, quale infra* p. 270,20 *positum est, omisso aut uberiorem de immutatione disputationem interposuit grammaticus, aut tertiam soloecismi definitionem, id quod magis probo, cum secunda conglutinavit librarius.*

Equidem facere non possum, quin ab hac sententia discedam.

Nam primum si, quam Quintilianus in disputatione de soloecismo adhibuit dispositionem (I, 5,34—54), inspexeris, videbis hanc esse, ut quadripertita (§ 38) soloecismi ratio statuatur, ut fiat adiectione detractione transmutatione immutatione; immutentur autem accidentia partibus orationis (§ 41) et ipsae partes orationis (§ 48).

Quae eadem dispositio apud Charisianum anonymum extat, qui pari prorsus modo, atque Quintilianus, paucis de adiectione, de detractione, de transmutatione, uberrime de immutatione egit.

In illo *„transmutatione“* (p. 268,3) vitium latere videtur; transmutationis enim, qua ut ait Quintilianus (I, 5,39) ordo turbatur, aptum exemplum in fine totius capitis scriptum est, hoc loco non extat; quare *„transmutatione“* aut lapsu calami ex *„immutatione“* corruptum est, aut (quod, cum iteratio verbi hoc uno loco certe mira esset, magis mihi placet) a librario, qui abhinc transmutationem tractari opinaretur, inepte additum est. Itaque de lacuna archetypi [1])

1) Continuatur pag. 64.

Sacerdos.

Acyrologia est dictio inconvenienter et inproprie prolata, ut est

hunc ego si tantum ...

pro timere: proprie enim speramus bona timemus mala.

Cacenphaton est oratio turpem significationem habens inturpibus verbis, ut

lepus tute es ....

et Cicero: *filiusque eius ...*

Donatus (394,25).

Cum barbarismo et soloecismo vitia duodecim numerantur hoc modo: barbarismus, soloecismus
acyrologia cacenphaton pleonasmus perissologia macrologia tautologia ellipsis

tapinosis
cacosyntheton amphibolia.

Acyrologia est inpropria dictio, ut

hunc ego si potui t. s. d.

sperare dixit pro timere.

Cacenphaton est

obscena enuntiatio, vel in composita dictione vel in uno verbo, ut

Diomedes (449,5).

Vitia orationis generalia sunt tria, obscurum inornatum barbarum.

obscuritatis species sunt octo: acyrologia pleonasmus perissologia macrologia amphibolia tautologia ellipsis aenigma.

inornatae orationis species sunt quinque tapinosis aeschrologia cacenphaton cacozelia cacosyntheton.

barbarae orationis partes sunt duae, soloecismus et barbarismus, quorum species sunt plurimae.

Acyrologia est dictio minus convenienter elata, vel non propriis dictionibus obscurata sententia, ut est

accede ad ignem hunc ....

ubi nullus significatur ignis verum meretrix et apud Vergilium

hunc ego si potui tantum s. d.

sperare pro timere posuit.

(450,32)

Aeschrologia est vitio compositionis inverecunda oratio, compositio verborum obscenae significationis aut unius verbi obscena significatio et pronuntiatio. compositione fit ut *cum Numerio fui.* sed emen-

Charisius (270,22).

Acyrologia est dictio inpropria, ut

hunc ego s. p. t. s. d.

cacenphaton est

compositio verborum obscenae significationis aut unius verbi obscena pronuntiatio,

compositione fit ut *cum Numerio fui.* sed emen-

Sacerdos.	Donatus.
Aeschrologia est verborum turpitudo, non intellectus	
comprime sis iram et *arrectique ora tenebant* et Cicero	*numerum cum n. a.*
teneat nunc Metellus testes meos.	
Inter cacenphaton ergo et aeschrologiam hoc est, quod cacenphaton honestis verbis turpem continet sensum, aeschrologia vero obscenis verbis honestum exprimit intellectum.	*arrige a. P.*
Pleonasmus est unius verbi adiectio amplius quam exigit sensus, ut	Pleonasmos est adiectio verbi supervacui ad plenam significationem, ut
sic ore locuta est	*sic ore locuta est* pro sic locuta est.
Perissologia est multorum verborum ad sensum exprimendum supervacua adiectio, ut est	Perissologia est supervacua verborum adiectio sine ulla vi rerum, ut
ibant qua p. q. n. p. n. i.	*ibant quae p. q. n. p. n. i.*
Macrologia est oratio longa sine cultu, ut est	Macrologia est longa sententia res non necessarias comprehendens, ut
retro, unde venerant	*Legati non impetrata .....*

Diomedes.

datur hoc vitium interposita aliqua particula ut

cum quodam Numerio fui et *numerum cum navibus aequet.*

item unius verbi obscena pronuntiatione sic fit ut est apud Sallustium

ductabat et
arrexit animos militum

Cacenphaton est vitio compositionis inverecunda suspitio ut

arrige aures Pamphile

item

ad ramum hunc aperit r. q. v. l.

(449,18)

Pleonasmos est sententia verbo plus quam necesse est abundans, ut

sic ore locuta est

cum utique sufficeret sic locuta est.

Perissologia est multorum verborum adiectio supervacua sine ulla vi rerum ut

ibant qua poterant, qua n. p. n. i.

hic enim excepto ibant omnia supervacua sunt.

Macrologia est oratio sine cultu nimium longa. (Scaurus ita definit ..... quam solutae orationi) et apud Livium

Legati non impetrata .....

Charisius.

dabitur hoc vitium interposita aliqua parte orationis, ut *cum quodam Numerio fui*

fit et in uno verbo

ut apud Sallustium

ductabat exercitum et
arrexit animos militum.

Pleonasmus est sententia verbo plus quam necesse est abundans, ut

sic ore locuta est

cum sufficeret dici sic locuta est.

Perissologia est multorum verborum adiectio supervacua

ut

ibant qua poterant, q. n. p. n. i.

hic enim excepto ibant omnia supervacua sunt.

Macrologia est oratio longa sine cultu

ut apud Livium

Leagti non impetrata .....

Sacerdos.	Donatus.
Tautologia est eiusdem sensus vel verbi iteratio, ut est	Tautologia est eiusdem dictionis repetitio vitiosa,
ego ipse feci et: *qualem* .... et *media* ...	ut egomet ipse.
Ellipsis est sensus minus habens verborum, quam necessitas postulat, ut	Ellipsis est defectus quidam necessariae dictionis, quam desiderat praecisa sententia, ut
quem tibi iam Troia dedit aut aliquid tale subauditur.	*haec secum* deest enim loquebatur.
Tapinosis est rei magnae humilis expositio ut Horatius	Tapinosis est humilitas rei magnae non id agente sententia, ut
	penitusque cavernas Ingentes u. a. m. c.
	et *Dulichias vexata r.*
Pelidae stomachum.	et *Pelidae stomachum c. n.*
Cacosyntheton est indecens structura verborum ut	Cacosyntheton est vitiosa compositio dictionum, ut
versaque iuvencum T. f. h.	*versaque iuvencum T. f. h.*

Diomedes.

hic enim non tantum pondus non adiecit sententiae longitudo, sed magis decorem abstulit. 450,16

Tautologia est eiusdem dictionis in eadem sententia supervacua repetitio, ut est:

fletus lacrimarum f. f.

et egomet ipse, cum sufficeret ego.

Ellipsis est necessaria dictione fraudata sententia, defectus quidam necessariae dictionis, quam desiderat praecisa sententia, ut est

terris iactatus et alto

cum desit in praeposito;

item

Italiam fato profugus.

i. e. ad Italiam.

Tapinosis est contra dignitatem magnae rei humilis expositio, ut est

marcido dies sole pallet,

cum marceant terrena non immortalia; et apud Flaccum *Pelidae stomachum* pro ira; Vergilius: *Multa malus simulans* pro scelestus.

Cacosyntheton est indecens structura verborum ut est:

versaque iuvencum Terga fatigamus hasta.

Charisius.

nullum enim pondus adiecit sententiae longitudo, sed magis decorem abstulit.

Tautologia est eiusdem vel idem significantis verbi iteratio ut:

egomet ipse.

Ellipsis est sententia verbo minor quam necesse est, salva tamen compositione verborum, ut per est

in medio victoria ponto

et *iam Danai nisi referunt*

pro: ne si quidem referunt.

Tapinosis est rei magnae humilis expositio

ut apud Horatium Flaccum *Pelidae stomachum c. n.*; humiliter enim stomachum dixit pro ira.

Cacosyntheton est indecens structura verborum talis ut:

versaque iuvencum Terga fatigamus hasta.

Sacerdos.

Amphibolia est dictio ambigua dubiam faciens sensuum sententiam

. . . . . .

Donatus.

Amphibolia est ambiguitas dictionis, quae fit aut per casum accusativum

. . . . . .

aut per commune verbum ut siquis dicat criminatur Cato, vadatur Tullius

. . . . . .

aut per distinctionem, ut

vidi statuam auream .....

fit et per homonyma, ...

fit praeterea pluribus modis, quos percensere omnes, ne nimis longum sit, non oportet.

Diomedes.

Amphibolia est vitio compositionis in ambiguo posita sententia, ut
aio te Aeacida Romanos v. p.
item
certum est Antonium p. e. C.
hi enim duo sensus vitio ambiguitatis carent proprietate, cum sit incertum .....
similiter ab Antonio vinci Crassum .....

fit et per homonymiam, ut cum dicimus taurum ....

fit item per communia verba ut: vadatur in foro Cato, criminatur Cicero. dubium est enim .....

item fit per distinctionem, ut vidi statuam auream .....

fit praeterea plurimis modis, quos percurrere omnes ne nimis longum sit non oportet.

Charisius.

Amphibolia est dictio sententiave dubiae significationis

dictio ut: vadatur Cicero, sententia ut: aio te Aiacida R. v. p. ambigua enim sors fuit .....

fit aliquando et in uno verbo .....

De barbarismo.

Audacis excerpta (VII 361).

Quid est barbarismus? dictio vitiosa. haec autem definitio generalis est et specialis, quia dictio et contexta oratio et una pars eius intellegitur. consuetudo autem hunc tantum barbarismum appellat, qui fit in una parte orationis.

barbarismus igitur est

una pars orationis corrupta.

sed hoc vitium in soluta oratione barbarismus appellatur, ceterum apud poetas metaplasmus dicitur. barbarismus et barbarolexis quid inter se differunt? quod barbarismus fit

in nostra loquella, barbarolexis in peregrina.

Quot modis fit barbarismus? quattuor i. e. adiectione de-

Comminianus.

Barbarismus est dictio vitiosa. haec autem definitio generalis est, non specialis. sed quoniam dictio et contexta oratio et una pars eius intellegitur, consuetudo (autem) hunc tantum barbarismum appellat, qui fit in una parte orationis, aptius tamen hac utemur definitione: barbarismus est

una pars orationis corrupta.

sed hoc vitium in soluta oratione nomen suum retinet, ceterum apud poetas metaplasmus vocatur, soloecismus autem schema. barbarismus est barbaros lexis i. e. barbara dictio. sed hoc vitium inter se differt,

quod barbarismus fit in nostra loquella, barbaros lexis in peregrina.

barbarismus fit modis quattuor adiectione detrac-

De barbarismo.

Diomedes 451,21.

Barbarismus est dictio vitiosa. est autem definitio generalis et specialis. sed quoniam dictio et contexta oratio et una pars eius intellegitur, et quia consuetudo hunc tantum barbarismum appellat, qui fit in una parte orationis, aptius tamen hac utemur definitione: barbarismus est enuntiatione vel scripto una pars orationis corrupta ac per hoc non latina.

sed hoc vitium in soluta oratione nomen suum retinet, ceterum apud poetas metaplasmus vocatur, soloecismus autem schema. barbarismus est barbaros lexis, i. e. barbara dictio. sed hoc vitium inter se differt,

quod barbarismus in latina dictione fit, barbaros autem lexis tota peregrina dictio

barbarismus fit motis principalibus quattuor: adiectione

Donatus.

barbarismus est una pars orationis vitiosa in communi sermone.

in poemate metaplasmus itemque in nostra loquella barbarismus, in peregrina barbarolexis dicitur, ut siquis dicat mastruga cateia magalia.

barbarismus fit duobus modis pronuntiatione et scripto.

his bipertitis quattuor species supponuntur, adiectio detractio immutatio transmutatio litterae syllabae temporis toni adspirationis.

Audacis excerpta (VII 361).

tractione immutatione transmutatione.

nam aut adicit aut detrahit aut mutat aut transmutat litteram syllabam tempus aspirationem accentum.

Comminianus.

tione transmutatione immutatione

Adiectione temporis, ut

Italiam fato profugus

cum Italia corripi debeat.

litterae, ut

relliquias Danaum

cum reliquiae dicantur.

syllabae, ut

nos abiisse rati

pro abisse.

Diomedes.

detractione mutatione transmutatione.

adiectionis species sunt quattuor: per adiectionem temporis sive productionem, per adiectionem litterae, per adiectionem syllabae, per adiectionem adspirationis.

Adiectione temporis sive productione fit hoc modo ut

Italiam fato profugus;

i enim prima syllaba cum corripi debeat producta est, i. e. cum habere debeat tempus unum habet duo: adiectione litterae, ut siquis relliquias geminata l littera pronuntiet, ut

relliquias Danaum;

adiectione syllabae cum dicimus Mavors pro Mars et tetuli pro tuli, ut

Mavortis in antro

et *nunquam huc tetulissem pedem*

item

alituum pro alitum

Donatus.

per adiectionem litterae fiunt barbarismi sicut

relliquias Danaum

cum reliquias per unum l dicere debeamus;

syllabae ut

nos abiisse rati

pro abisse;

temporis, ut

Italiam fato profugus

cum Italiam correpta prima syllaba dicere debeamus.

Cominianus.

detractione temporis, ut

fervere Leucaten
pro fervere producta e syllaba.
litterae, ut siquis dicat
Plionem pro *Polione*

syllabae, ut imperiti dicunt
salmentum

pro *salsamento.*

Diomedes.	Donatus.
adiectione adspirationis; hoc et scripto et sono proditur, ut cum dicimus choronam cum adspiratione, cum debeat leviter pronuntiari. item hemo pro emo.	
detractionis species sunt aeque quattuor, detr. temporis, litterae, syllabae, adspirationis.	
temporis, ut siquis dicat *fervere* correpte, cum produci debeat media syllaba, ut *fervere Leucaten;*	
litterae, ut si detracta a littera pretor dicamus, ut Lucilius *pretor ne rusticus fiat,* cum debeat ae pronuntiari praetor [sed structurae gratia syllaba longa corripitur];	per detractionem litterae sicut *Infantibu parvis* pro infantibus;
syllabae, ut siquis temnere dicat pro contemnere, ut Vergilius *et non temnere divos;*	syllabae, ut *salmentum* pro *salsamento.*
aspirationis, ut siquis dicat omo sine aspiratione, cum debeat aspere pronuntiari.	
hae autem species inveniuntur locis tribus, in prima parte dictionis in media in novissima.	

Cominianus.

transmutantione litterae, ut siquis dicat reilcum pro eo quod est relicum. immutatione litterae, ut siquis dicat olli pro illi.

fit immutatio et per sonos (legendum est: *tonos*) cum aut acutus pro gravi aut gravis pro acuto vel alio quolibet ponitur.

Diomedes.

in prima parte fit per aphaeresin i. e. detractionem ut linque pro relinque;

in media per syncopen i. e. concisionem, ut nantes pro natantes;

in novissima per apocopen i. e. abscisionem ut volup pro voluptate, et ut si accusativo sine m littera domu dixeris.

per parallagen i. e. mutatione litterae si litteram aliam pro alia pronuntiamus ut *arvenire* pro advenire.

transmutatione, cum in eadem dictione commutatis inter se litteris utamur ut leriquias si per l litteram (primam syllabam) pronuntiemus, cum debeat per r prima syllaba dici: *reliquiae*

item *lerigionem* similiter pro *religione* mutatis l et r litteris; eodem modo *tanpister* pro *tantisper*

per ecthlipsin quoque. i. e. per unius litterae elisionem ut repsitum pro repositum.

Donatus

per immutationem litterae, sicut olli pro illi; syllabae ut permicies pro pernicies; temporis ut *fervere Leucaten* pro .....

per transmutationem litterae, sicut *Euandre* pro *Euander;*

syllabae ut displicina pro disciplina; temporis ut siquis *deos* producta priore syllaba et corrupta posteriore pronuntiat.

toni quoque similiter per has quattuor species commutantur, nam et ipsi adiciuntur, detrahuntur, immutantur transmutantur, quorum exem-

Cominianus.

sonus in pronuntiatione invenitur. Similiter aspiratio ad sonum pertinet tametsi nos h quasi litteram pronuntiamus. sed hoc vitium in scripto invenitur cum aut choronam pro corona aut unum pro humo legimus.

De soloecismo.

Donatus.

392,6 et 7.

Soloecismus est

Diomedes.

sunt praeterea pronuntiationis quaedam vitia, quae nonnulli barbarismos putant,

iotacismus labdacismus
myotacismus hiatus
eonlisiones et omnia, quae plus aequo minusve sonantia ab eruditis auribus respuuntur.

haec vitia praelocuti controversiam de nomine pertinacibus relinquimus.

Donatus.

pla se ultro offerent, si quis inquirat.

totidem modis etiam per adspirationem deprehenditur barbarismus, quem quidam scripto, quidam pronuntiationi iudicant adscribendum, propter h scilicet, quam alii litteram alii adspirationis notam putant. fiunt etiam barbarismi per hiatus.

sunt etiam malae compositiones i. e. cacosyntheta, quas nonnulli barbarismos putant, in quibus sunt

myotacismi labdacismi
iotacismi hiatus
conlisiones et omnia, quae plus aequo minusve sonantia ab eruditis auribus respuuntur. nos cavenda haec vitia praelocuti controversiam de nomine pertinacibus relinqui mus.

De soloecismo.

Diomedes.

453,21.

Soloecismus est contra rationem Romani sermonis disturbans orationem.

Charisius.

(Comin. 266,15) soloecismus est oratio inconsequens,

Donatus.

vitium in contextu partium orationis contra regulam artis grammaticae factum.

293,7—9.

inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod

soloecismus

discrepantes aut inconsequentes in se dictiones habet,

barbarismus autem in singulis verbis fit

scriptis vel pronuntiatis.

293,10.

quamquam multi errant, qui putant etiam in una parte orationis fieri soloecismum, si aut demonstrantes virum 'hanc' dicamus aut feminam 'hunc',

aut interroganti quo pergamus respondeamus Romae,

aut unum salutantes salvete dicamus, cum utique praecedens demonstratio vel interrogatio vel salutatio vim

Diomedes.	Charisius.
et vitium in contextu partium orationis contra regulam artis grammaticae factum,	
	(anon. Char. 267,23).
id est non conveniens rationi sermonis iunctura verborum.	soloecismus est non conveniens rationi sermonis verborum iunctura.
455,34.	(anon. Char. de barbar. 266,12)
inter soloecismum et barbarismum hoc interest, quod	inter barbarismum et soloecismum hoc interest, quod
soloecismus in pluribus partibus fit et discrepantes et inconsequentes inter se dictiones habet,	
barbarismus autem in una et in soluto sermone.	barbarismus in singulis verbis fit in quocunque ordine contra morem Latinitatis,
	soloecismus autem quando discrepantes inter se dictiones habet (oratio).
455,25.	Comin. 267,20.
quidam adiciunt quintum decimum, qui putant etiam in una parte orationis fieri soloecismum, si inconvenienter fiat, si demonstrantes virum 'hanc' dicamus aut feminam 'hunc',	dicunt quidam soloecismum et in uno verbo fieri, ut si quis feminam ostendat et dicat 'hic';
aut si interroganti quo pergamus respondeamus Romae,	
aut unum salutantes salvete dicamus, cum utique praece-	sed intellegendum est huic dictioni accidere demonstra-

contextae orationis obtineat. multi etiam dubitaverunt, scala quadriga scopa soloecismus an barbarismus esset, cum scilicet id genus dictionis barbarismum esse vel ex ipsius vitii definitione facile possit agnosci.

Diomedes.

dens demonstratio vel interrogatio vel salutatio vim contextae orationis obtineat.

multi etiam dubitaverunt, scala quadriga scopa soloecismus an barbarismus esset, cum scilicet id genus dictionis barbarismum esse ipsius vitii definitione possit agnosci.

ita fiunt modi soloecismi secundum plerosque quattuordecim, secundum quosdam quindecim.

Charisius.

tionem et sic effici duas partes orationis.

non est cogitandum sed unum verbum e verborum serie eiciendum.

Qua leni coniectura omnia plana fiunt et aequa. Priora enim duo exempla soloecismi sunt, qui fit cum nomen proprium pronominis loco ponitur; tertium soloecismi qui fit cum nomen pro verbo, quartum, cum nomen pro participio ponitur.

Quae cum ita sint, duo tantum apud Charisium extant fontes; quorum prior, Cominianus, inter eos numerandus est auctores, qui ut ait Quintilianus (I, 5,40) adiectionis detractionis transmutationis genera a soloecismo deducunt, posterior, anonymus, cum Quintiliano vel eius fonte, quod ad dispositionem attinet, similitudinem quandam ostendit.

Inter Cominianum autem et anonymum nullum extat vinculum. Unum enim tantum exemplum apud utrumque occurrit: *sequimur te sancte deorum* (p. 267,4 = 268,9) ab utroque positum in soloecismo, qui fit, cum absolutus pro superlativo adhibetur. At Cominianus de soloecismo, qui fit in comparatione, speciali sub titulo agit, apud anonymum comparationis vocabulum omnino non invenitur, sed huius generis soloecismum inter eos posuit, qui fiunt per qualitates nominum. Quare Cominianus et anonymus ex diversis pendent fontibus. Anonymum autem capitis de soloecismo eundem esse atque capitis de barbarismo censeo, cum per se verisimile sit neque quidquam obstet. Argumentum etiam certum postea allaturus sum.

Iam pauca nobis de Donati capite, quod est de soloecismo (293,5 sq.), praemittenda sunt. Cuius velim inspicias haec verba: (293,24) *per accidentia partibus orationis tot modis fiunt soloecismi, quot sunt accidentia partibus orationis. sed ex his propter compendium exempli causa perpauca monstrabimus.* Atque si accidentia partibus orationis computamus, efficiuntur triginta unum. Quodsi Donatus fontem in manibus habuisset, qui triginta soloecismos et unum huius generis proferret, tamen ex hoc numero perpauca se

elegisse iure dicere non posset, cum duodecim exhibeat [1]). At Donatus talem fontem inspexisse nequaquam videtur, immo secutus esse Cominiani auctorem. Nam primo loco, quem etiam hic primo loco habet, soloecismum exhibet eodem exemplo addito; secundo loco eum, qui inter generum soloecismos — quae secunda apud Cominianum species est — apud illum primum obtinet locum; tertio loco eum, qui apud Cominianum eodem sequitur ordine, eodem addito exemplo. Inde ab hoc verum loco, nisi forte quis soloecismum qui fit per comparationem addere vult, ordo perturbatus est, Cominiani vestigia evanescunt; quae ex tabella, quam huc addo intellegi possunt:

per accidentia partibus orationis fiunt soloecismi hi:

Cominianus	Donatus.	
1) per *qualitates* nomin. Verg. Aen. IV. 661.	1) per qualit. nom. Verg. Aen. IV. 661.	
2) per *qualit.* verbor. Aen. XII. 216.		
3) per *qualit.* adverb. intus eo, intro sum.		10) per adverbia. intus eo, foras sto, Italia venio, ad Romam pergo.
4) per *qualit.* praepos. Aen. I. 64.		11) per praeposit. sub lucem. Aen. XI. 686.
5) per *genera* nomin. Aen. II. 554.	2) per genera nom. Verg. buc. VI. 62. Plaut. capt. II. 2. 107.	
6) per *genera* verbor. lavatur.		
7) per numeros. Aen. I. 212.	3) per numeros. Aen. I. 212.	

1) Iam prioribus temporibus e magno soloecismorum numero certum quendam electum esse, e Diomedis verbis cognoscitur: (453,30) *soloecismus fit modis generalibus quattuordecim, aut ut quidam quindecim.* Lucilium autem centum soloecismorum nomina enumeravisse e Pompei verbis intellegitur (K. V, 289,7—12).

Cominianus.		Donatus.
8) per casus. Horat. ep. I. 7, 22.		5) per casus. Aen. I. 573.
9) per personas. vosque lares		9) per personas. Danai, qui parent ...
10) per modos. Aen. XI. 112.		6) per modos. (incerti auctoris exemplum.)
11) per tempora. Aen. III. 2.		8) per tempora. Aen. III. 2.
12) per comparation. Aen. IV. 576.	4) per comparat. Enn. I. 65.	
13) per ordinem coni. autem.		12) per coniunctiones. Aen. II. 37. fieri autem non debet. 7) per significationes verbor. Ennius: (?).

Ac ne quis dicat, Donatum hac in capitis parte alium sequi auctorem. Nam cum iam per se verisimile non sit, Donatum, ut *propter compendium exempli causa perpauca monstraret* plures fontes inspexisse, cumque ad illud *perpauca* respicientes tres vel quattuor soloecismos expectemus, etiam verba inde a pag. 394 eam speciem praebent, ut facile de interpolatoris manu cogites. Nam primum codex S nonnulla omisit, quae librarius nescio quis mala facundia addidisse videtur (vid. Keilii ann. ad 394,7 sqq.). Deinde cum antea lemmata, ut ita dicam, ita sint conformata, ut primo accidens parti orationis nominetur, inde a 394,4 tantum ipsae orationis partes enarrantur: *per adverbia, per praepositiones,* rel. Denique de adverbiis et praepositionibus Donatus in eodem capite (p. 393,21—24) iam egit, ita ut duobus locis idem proferret, cum „brevissimus propter compendium“ esse sibi proposuisset.

Iam pridem autem has interpolationes factas esse inde cognoscimus, quod commentatoribus eadem artis Donatianae forma in manibus fuit (cf. Sergius 564,10). Habemus autem testimonium hoc: (Keil. vol. V, 325): *Artium Donati*

liber ita a plerisque vitiatus est et corruptus, dum unusquisque pro libitu suo sive ex aliis auctoribus sive quod ei visum est addidit .... ut nisi in antiquis codicibus vix purus et integer, ut ab eo est editus, reperiatur.

Quae cum ita sint, verba 394,4—22 magnam partem interpolatori tribuere non dubito, neque minus mihi persuasum est, etiam in antecedentibus interpolationes extare; quas detegendi argumenta mihi non praesto sunt.

De Diomedis disputatione haec statuere possumus: primum moneamus verba *vel a Solone, legum auctore, qui indifferenter locutus est* (453,28) non suo loco exhiberi, cum ordine servato ante verba *Latine a quibusdam stribiligo appellatur* ponenda sunt[1]); facile autem credas, hanc vel illam annotationem ab interpolatore in margine codicis archetypi adscriptam in hunc ineptum locum a librario insertam esse, quem nostris in codicibus obtinet. Deinde verba (455,36) *ceterum apud poetas barbarismus metaplasmus dicitur, soloecismus schema nominatur* iam pag. 451,28 et 29 extant ita conformata: *ceterum apud poetas metaplasmus vocatur soloecismus autem schema;* hoc quoque loco apud Cominianum leguntur. Quae utrum Diomedes ex memoria iteraverit secundo loco, an ab interpolatore addita sint, cum hoc scire nihil intersit, liberum opinaturis relinquo. Quot fontes autem adhibuerit Diomedes, ex ipsius verbis difficile est cognitu; nam cum dicit (453,29) *soloecismus fit modis generalibus quattuordecim, vel ut quidam quindecim,* ut haec iam in fonte invenerit, facile fieri potuit.

Atque si quaerimus, quemnam fontem habuerit in manibus, neque Cominianum neque anonymum Charisianum ei praesto fuisse apparet. Cominianus enim quattuordecim exhibet soloecismos, quorum XIII in tabella in pag. 65 posita

1) Latinae versionis auctorem Aurelium Opilium fuisse e fragmento a Keilio vol. V edito discimus, ubi pag. 328,8 haec leguntur: *Soloecismum Latine nostri dixerunt, ut ait Aurelius Opilius, stribiliginem, cuius nominis etymologiam nondum invenio.*

exhibui, addito hoc, qui fit cum coniunctio pro adverbio ponitur; Diomedes hos hoc ordine: soloecismum qui fit per immutationem 1) generum nominum, 2) generum pronominum, 3) casuum, 4) numerorum, 5) personarum, 6) temporum, 7) qui fit per qualitatem verborum, 8) per modos verborum, 9) per adverbia localia, 10) per praepositiones, 11) per gradus, 12) per geminationem abnuendi, 13) per ordinis immutationem, 14) per immutationem accentus.

Iam vides utrumque alios alio ordine habere.

Deinde conferas haec: Diom. 454,25: *septimus modus per qualitates verborum fit, ut* .. (Verg. georg. II, 425) *finxit enim commune verbum nutritor ab eo quod erat activum nutrio, cum deberet dicere nutrito.*

Comin. 266,25: *per qualitates verborum ut* .. (Verg. Aen. XII, 216) *pro videbatur*; *posuit enim infinitivum verbum pro finitivo* (cf. 267,1).

Alium apud unumquemque sensum habere verbum *qualitatis* vides. Neque minus vox *modus* ab utroque alia adhibetur notione: Diom. 454,29: *octavus modus fit per verborum modos ut* .. (Aen. XII, 210) *videri enim infinitivum modum posuit pro pronuntiativo, cum deberet dicere videbantur.*

Comin. 267,8: *per modos, ut: nec veni nisi fata locum sedemque dedissent* (Aen. XI, 112) *pro nec venissem.*

Neque aliter res se habet, si Diomedis disputationem cum anonymi Charisiani contuleris. Hunc enim ab eo non in usum vocatum inde intellegimus, quod tunc non dicere potuit, alios quattuordecim alios quindecim numerare soloecismos; anonymus enim duodeviginti habet. Sacerdotis denique auctorem eum non secutum esse primo obtutu elucet (cf. VI, 449,15 sq.). Neque Donati auctorem in enumeratione soloecismorum propterea videtur adhibuisse, quod Donati dispositionis vestigia nulla apparent. At omnia, quae apud Donatum 393,5—17 tanquam prooemii loco sunt, apud Diomedem sed multo uberiora atque alio ordine redeunt. De quibus nunc nobis disputandum est (cf. tabellam pag.

60—63). Atque ea, quae de soloecismi veriloquio (453,24—29) proferuntur, utrum ex alio atque Donati fonte inserta, an, cum in illo extarent, a Donato omissa sint, nemo diiudicare potest. Proprium autem eorum est, quod, cum quae apud alios grammaticos legantur veriloquia omnia ex uno fonte hausta sint, ex alio fonte fluxisse videntur: Serv. IV, 445,35. *Soloecismus dictus est vel ex Graeca etymologia, quasi σῴου λόγου αἰκισμὸς id est sani sermonis vitium, aut certe ideo quod Σόλοικοι venientes Athenas et male loquentes nomen ex se vitio dederunt.*

Pompeius V, 288,28 *soloecismus dictus est hac causa: Soloe quidam populi sunt circa Ciliciam; hi venerunt Athenas dum pessime loquerentur; exinde tractum est, ut dicerentur vitia ... soloecismi ..... est tamen alia vera ratio ... soloecismus quasi σῴου λόγου αἰκισμός id est sani verbi corruptela* (cf. etiam vol. V, 328,1).

Sacerdos VI, 449,18 *soloecismus dictus est duobus modis, vel quod sit τοῦ σῴου λόγου αἰκισμός i. e. integrae laesio dictionis, vel quod aliquando Σόλοικοι Cilicienses cives, Athenas profecti non integre loquentes vitioso sermoni ... nomen dederunt.*

Deinde definitionis media pars apud Donatum, ultima apud Charisii anonymum (267,23) legitur, quem nequaquam Diomedem in manibus habuisse antea probavi. Immo haec iam in Diomedis fonte fuisse, a Donato omissa esse, censeo. Nam etiam in capite de schematibus Diomedem similem fontem in usum vocasse vidimus, in quo definitionem exciperet explicatio a verbis *id est cum* orsa; ibique Donatus tantummodo definitionem, Charisius explicationem exscripsit. Qui Diomedis fons, cum Scaurum fuisse demonstraverimus, etiam in capite de soloecismo conscribendo eum Scauri artem adhibuisse sequitur, quem toto capite de vitiis orationis eum exscripsisse vidimus. Similiter autem, ut in illo, ita hoc in capite non omnia e Scauro desumpsit, sed partem tantummodo. Scauri enim disputatio, quem pro clarorum

poetarum testimoniis pauca tantummodo et singula verba exemplorum loco posuisse vidimus, minus Diomedi, ut extremae aetatis artigrapho, placuisse videtur, quam eius auctoris, quem inde a p. 453,35 secutus est.

Primam autem Diomedis definitionem: *Soloecismus est contra rationem Romani sermonis disturbans orationem* [subintellegendum est *vitium* vel legendum: *disturbata oratio*] Scauri esse quamvis accurate demonstrari nequeat, tamen verisimile fit, si Scaurianam definitionem troporum hanc legimus: *tropus est ut ait Scaurus modus ornatae orationis et dictio translata* e. q. sq. Utroque enim loco generalem specialis excipit definitio particula „et“ annexa.

Anonymum denique Charisianum perpauca Scauriana servasse e tabella quam addidi patefit; apud Cominianum autem fere nulla extant Scauri vestigia.

U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045913152
YB 00725
471444
UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY